




ADAGIALIA
SACRA
NOVI TESTAMENTI
GRÆCO-LATINA:

Selecta atque exposita à P. ANDREA SCHOTTO
Societatis IESV Presbytero.

Seorsim ab eodem edita
ADAGIA SEV PROVERBIA
VETERVM GRÆCORVM.



ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXIX.

ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI

P. MVTIO VITELLESCO

SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI
D. D.



QVINAM mortalium iustiùs studiorum meorum constare rationem velle debeo, quàm Præposito meis actionibus à Deo? cui & omnis actæ vitæ reddenda sit ratio in terris. Nam & obedire Præpositis quemque suis, vas electionis Paulus iubet. *Ipsi enim peruigilant*, ait, *quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quare si quid hactenus discendo ipse, aliósve docendo, quod sentio quàm sit exiguum, sum consecutus; & si quid scriptis mandando (volui quidem certè) profui; si quem denique in studijs etiam sacris processum feci, vt Ec-

cleſiæ Catholicæ membris commodi quid, AD MAIOREM DEI GLORIAM, adferre poſſem; id omne profectò poſt Deum Tibi, Pater optime, vindicare iure optimo potes. Vita enim, quod M. Varro togatorum doctiſſimus ſuadet, legendo ac ſcribendo procudenda: vel, vt B. Auguſtinus de ſe ipſe prædicat, vt ſcribendo proficiamus, quod fieri in ſtyli exercitatione amat, & proficiendo ſcribamus; vel denique S. Hieronymi exemplo, Epiſt. ad Euſtochium virginem, vt lectioni ſacræ oratio ad Deum ſuccedat, & orationem lectio viciſſim alternando excipiat. *Oras?* inquit, *loqueris cum Sponſo. Legis? ille tecum loquitur. Animæ enim Chriſtianæ pabulum eſt meditatio in lege Domini die ac nocte.* Quæ cùm ita ſint, efficitur, eos qui otio, ignauiæ ac deſidiæ nimis indulgent, & tempore abuti, & illiberaliter frui litteris; vt generoſo indignum milite eſſe videtur, quem pugnantem occumbere ſit glorioſum, terga hoſti vertere, aut clypeo abiecto ῥιψάσπιδα audire, turpe ſemper eſt habitum. Itaque inueſtigando in ætatis meæ flore, & Bibliothecas ſcrutando perantiquas (vt Vaticanam Romæ Pont. Max. ſtudioſè luſtraui) eruere conatus ſum, atque è tenebris in lucem reuocare ſtudui veteres aliquot notæ melioris Scriptores antiquos vtraque conſcriptos lingua, cùm ſacros tum profanos, externoſque, vt ante me nonnulli bono rei litterariæ publico præſtiterunt. In his eruimus Aurelij Victoris Au-

guſtam hiſtoriam, & S. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi τὰ Γλαφυρὰ in Pentateuchum Moyſis, cum eiuſdem Ἑορταστικοῖς Sermonibus XXX. tot enim annis Alexandriæ Præſul ſedit. Item Photij Patriarchæ CP. Bibliothecam inſcriptam dedimus, vt reliquos Auctores præteream. Legendo adhæc vtraque lingua, commentando atque interpretando, de Græcis Latinè non pauca proferre ſum auſus. Nunc verò ſacris in ſtudijs *Noui Teſtamenti* ADAGIALIA R. Pti V. debita libens volenſque do, dico, addico. Quæ quidem ſacra Prouerbia qua licuit breuitate expono, ne vaſtis Commentarijs, vt poſſem fortaſſe, ad ingenij potiùs oſtentationem comparatis, Lectorem onerare viderer. Et verò ſunt in manibus aliorum in Societate noſtra Theologorum Commentarij, vtiliſſimi ſanè ijs qui de ſuperiore loco vel docent ipſi, vel ad populum verba faciunt, ſatis vt eſſe duxerim erudito hoc ſæculo, libris optimis affluente, digitum frequenter ad fontes, quod aiunt, intendiſſe. Socium autem laboris hîc me (dicam ingenuè) præbui collegæ meo P. Martino Delrio; cum quo & communis patria Antuerpia eſt, & ſtudiorum vitæque communis coniunctio, à primis adoleſcentiæ annis exſtitit, in his Regis Catholici Academijs, Louanienſi ac Duacenſi: cùm ille Senecam Tragicum ſuis Aduerſarijs, pòſt etiam maioribus illuſtrauit vigilijs. Equidem M. Annæum Senecam, parentem L. Senecæ philoſophi Stoici, vberioribus tunc No-

tis exposui in suasorijs ac controuersis Declamationibus: hiatus quoque omnes Græcis, quæ deerant, dictis Sophistarum pro virili expleui, & lacunas. Pòst vtroque nostrûm in Societatem adscripto, eademque, vt dici solet, naui vecto, è sacris Biblijs ille Veteris Testamenti *Adagialia* exposuit, nos continuò Noui Testamenti subiecimus, quæ Delrius non attigit, immatura præreptus morte è calculi doloribus Louanij. Semper enim immaturus eorum interitus, qui benè de alijs mereri student, existimari solet. Accessit & illa maturandæ editionis causa, quòd sedecim abhinc annis Plantinianis hîc typis exire sim passus *Prouerbia* siue *Adagia* veterum Græcorum, Latinè reddita atque exposita, potissimùm è Zenobio, Diogeniano, Hesychio, ac Suidæ Collectaneis; pòst etiam Michaëlis Apostolij integra *Adagia*. Illas quidem vigilias, Romæ dum degerem, inchoatas, viro doctissimo Scipioni Cobellutio, pòst à Paulo V. Pont. Max. Cardinali renuntiato, oblatas, gratas acceptasque habuit, qui viuens moriensque, vt minimæ nostræ Societatis in primis studiosus, Collegium Socijs, Reu. Pat. V^a approbante, Viterbij in patria suo ære, publico sanè bono, testamenti tabulis excitari iussit. Apprecamur in dies vicissim, more rituque maiorum, æternam ipsi beatitudinem, vt æuo perfruatur sempiterno. Habes, mi Pater venerande, editionis huius consilium, quam haberi ratam calculo tuo ac suffragio placuit,

eam-

eamdem bonam in partem vt accipere ne graueris, maiorem in modum equidem rogo obtestorque. Sic seruet ac sospitet R. P. V^am Deus Opt. Max. Ecclesiæ suæ, & minimæ Societati nostræ quàm diutissimè incolumem, & nobis superstitem. Vale Antuerpiæ in Professorum Domo, pridie Kal. Sextil. M. DC. XXVIII.

R. P. T.

minimus in Christo seruus

ANDREAS SCHOTTVS.



CAN-

CANDIDO LECTORI.

Adagiorvm quæ nomina, definitio & vſus.



De re quidem eadem Adagialivm *ſacrorum iterandus ſermo, verbis tamen & Auctoribus non iiſdem. Adfero enim* Adagialia *poſt P. Martinum Delrium, ciuem & collegam, qui ſedecim abhinc annis* Veteris Teſtamenti Adagialia *diligenter & collegit & interpretatus eſt.* Noui *verò* Teſtamenti, *morbo impeditus, ac morte immatura præuentus, non attigit.* Adagia *autem ſiue* Proverbia, *vt hinc ordiar, vſu populi & vulgi frequenti ſermone vſurpata, quemadmodum apud Syneſium Ariſtoteles Peripateticæ Princeps ſcholæ docet, nihil ſunt aliud, quàm priſcæ illius Philoſophiæ poſt tot tantaſq; clades interituſq; rerum humanarum* ἐγκαταλείμματα *ſeu* reliquiæ. *Sic enim Syneſius Cyrenenſis Epiſcopus in extremo Caluitij encomio:* Εἰ δὲ ϗ ἡ Παροιμία σοφὸν ἦ. *Cetera Latinè ſic reddidit P. Dionyſius Petauius noſter:* Quòd ſi ſapiens dictum Proverbivm eſt, quidni enim ſapiens ſit, cùm de ijs ita ſentiat Ariſtoteles, vetuſtioris Philoſophiæ, in maximis hominum ruinis intercidentis eſſe reliquias, & monumenta ob breuitatem & ſcitam elegantiam ſeruata? Prouerbium igitur eſt ſententiaque, cuius dignitas ab eiuſdem ipſius eſt, vnde emanauit, vetuſtate Philoſophiæ (hoc eſt Theologiæ ſeu Metaphyſicæ) adeò vt graui exinde truciq́ue ſit aſpectu. Multò ſiquidem veteres, quàm nos hodie, fuêre in veritate indaganda εὐστοχώτεροι, ſollertiores. *Mox adijcit de* Adagiorum *vſu:* Hinc ſanè Prouerbiorum vis apparet. Quod immortalia facit

cit Prouerbia, illud est, quòd multi nunc ijs vtantur, & olim sint vsi. Vsus, inquam, eorum, qui hæc vsurpant, assiduus, quos in memoriam reuocant res ipsæ. *Ita Synesius Episcopus. Hinc factum existimo, quòd apud Hesiodum, Pythagoram, Pindarum, Platonem, Euripidem, aliosq́; Scriptores profanos, non rarò conspiciantur* sententiæ Prouerbiales *ad* Biblicas *Christianorum propiùs accedentes, vix vt syllaba immutata interdum videatur; vt nec ouum ouo, nec lac lacti similius appareat. Nam Ægyptiorum disciplinis Scriptores illos imbutos fuisse, ex Historicis nouimus, cuius sententiæ laudare auctores possumus Theodoretum* De cura Græcanicarum affectionum, Serm. I. *&* *Eusebium* lib. X. Euangelicæ Præpar. *& in* Platonis Vita *Laërtium Diogenem.*

Unde autem ducta Adagiorum *seu* Prouerbiorum *appellatio, notissimum opinor cuique, nisi qui in litteris hospites peregrinantur. Hebræis quidem* מָשָׁל Maschal, Adagium *est: Græcis verò* παροιμία *&* παραβολὴ, *hoc à* βάλλω, *illud ab* οἶμος, *quòd iuxta viam velut in triuio tractata sint, deriuata appellatio est. Hinc M. Tullius* tritum sermone Prouerbium *Lib. I. Offic. vsurpat.* Adagij verò Adagionisque *vocabulum M. Terentio Varroni magis video placuisse. Cur autem* ADAGIALIA *generatim hæc nostra inscribere cum P. Delrio maluerim, eò factum existimes velim, quòd interdum, si non* Adagia *vsquequaque existant, formam tamen similitudinemq́; præferant: vtq́;* Prouerbiale *Latinis, sic & Græcis, vt Plutarcho in Camillo,* παροιμιώδης λόγος *enuntiatur: quò eorum reprehensionem effugiam, qui ad viuum omnia resecantes, molestè ferunt symbola Pythagorica sententiasq́; (quod illis largimur, nisi si obscurum quid contineant) in Prouerbiorum censum recipi. Quo nomine Paulum Manutium in Adagijs Desiderij Batavi perpur-*

gandis, vt non ſatis accuratè verſatum, M. Ant. Muretus libro XII. Variarum lectionum cap. XVI. & XVII. *reprehendit.*

Quoniam verò omnis quæ à ratione ſuſcipitur diſputatio, à definitione proficiſcatur oportet, age ADAGII ſacri, *de quo hîc ſermo eſt inſtitutus, hæc Baſilij Magni eſto finitio, exordio Commentarij in* Parabolas Salomonis: *poſt aliorum etiam adferemus.* Parœmia, *inquit,* eſt ſermo verbis cum occultatione moderata editus; qui prima quidem fronte multum commodi præbet, ſed in receſſu ſenſum aliquem profundiorem obtineat. *Græcè magnus ille Theologus ſic extulit:* Παροιμία λόγος ὠφέλιμος μετ' ἐπικρύψεως μετρίας ἐκδεδομένος, πολὺ μὲν τὸ αὐτόθεν χρήσιμον περιέχων, πολλὴν δὲ καὶ ἐν τῷ βάθει τὴν διάνοιαν συγκαλύπτων. *Ita Baſilius verè, quod audit, &* Regius *&* Magnus *in ſcriptis ad pietatem comparatis. Juſtinus verò Philoſophus ac Martyr, ſiue quis alius auctor eſt, libro* Quæſtionum ac Reſponſionum, Quæſt. LX. *cum Hiſtoria comparans:* Parabola ſermo eſt ſimilitudinem habens rei geſtæ cum ea quæ futura eſt. Hiſtoria autem ſermo eſt, complectens rei geſtæ deſcriptionem vt præterijt. *Clemens Alexandrinus* lib. VI. Stromatum *ſic* Adagium *definit:* Parabola eſt oratio ab eo quod proprium non eſt, ad id quod proprium eſt deducens intelligentem. *Ibidemq́ rurſum* Maſchal *Hebræam vocem* Parabolam *Græcè exprimere conatus, vertit, obſcuritatis latentis cauſſâ,* Prophetiam, *agens de ſpeciebus affinitate coniunctis, Adagio puta, Aenigmate, atque Apologo.* Dicitur, *ait,* Parœmia ſpecies Prophetiæ, & à barbara Philoſophia *(hoc eſt, ab Hebræis)* vocatur Parabola, quæ & ænigma ſit. *Quem Clementis locum idem Delrius, traiectis leuiter vocibus, ſic concinnabat, vt Parabolas Parœmiæ loco, & retrò viciſſim ita collocet:* Dicitur à barbara Philoſophia

* * Pro-

Prophetiæ ſpecies Parabola. item Parœmiæ ſpecies ænigma eſt ijſdem. *Græci enim Hebræos etiam ipſos (vt id ἐν παρόδῳ adiiciam)* Barbaros *antiquitus nominarunt, vt ab Amelio Philoſopho Plotini diſcipulo Joannes Euangeliſta dictus* barbarus, *quòd Hebræus eſſet ex Hebræis*, Ἑβραῖος ὁ ἐξ Ἑβραίων, *vt Euſebius exponit; & S. Cyrillus Alexandrinus* lib. VIII. aduerſus Iulianum: *Iamblichus quoque Chalcidenſis Platonicus philoſophus* barbaras voces *plerumque vocat Hebræas in lib.* de Phœnicum Theologia, *vt obſeruarunt alij.*

Redeo ad Parœmias, quas obſcuritatis quoque nomine, vt Clemens ille, ſic & Marcellus Ancyranus Epiſcopus (in quem & Euſebius ſtyli ſtrinxit acumen) Prophetiam *nominauit* lib. I. cap. 3. *Theophylactus Bulgariæ Epiſcopus in cap.* XVI *Ioannis*, Parœmia, *ait*, ſermo eſt obliquus, & occultè & per parabolas totum argumentum oſtendens. *Suidas quoque in Collectaneis ad hunc definit modum:* Parœmia eſt oratio obſcura, quæ per aliam perſpicuā ſignificatur. *Michaël denique Apoſtolius* Adagiorum *nuper integrè à Petro Pantino V. C. editorum* Περιλεγομένοις *deſcriptionem hanc potiſſimùm quinto & vltimo adfert loco.* Sermo, *inquit*, eſt ad exhortationem ſeu ſuaſionem aptus, cuius per vniuerſum vitæ curriculum vtilitas dimanet.

Ex his itaque finitionibus efficitur, vtiliſſimum eſſe rebus humanis ADAGIORVM *vſum, vt maximè tritum ſermonem, & ad perſuadendum, velut Axiomata, comparatum. Dictis ſanè communibus, cunctiſq; in ore natantibus, vel ad familiarem ſermonem ſale & urbanitate condiendum adhiberi ſolitum. Dici enim hodieq; ſolet, non temerè eſſe quod vulgò dictitant, ac quod παράδοξον meritò habeatur*, Vocem populi, vocis diuinæ inſtar videri. *Hanc igitur loquelæ partem quotidie vſitatam*

ſemper equidem cenſui minimè negligendam, ſed ſummam dicendorum, vel, vt dicam veriùs, medullam continere Philoſophiæ ac ſapientiæ: vel denique, vt Ariſtotelem Philoſophorum coryphæum iudicare ſolitum iam è Syneſio Cyrenenſi Epiſcopo diximus, antiquæ philoſophiæ ac penè amiſſæ in clade rerum omnium ſapientiæ reliquias *exſiſtere* Prouerbia. *Baſilius quoque Magnus vtilitatis gratiâ* λόγον ὠφέλιμον *definiens, mirificè commendauit. Valent adhæc* Adagia *non modò ad occultandas porcis margaritas vnioneſq; Euangelij, ſcientiarumq; omnium ſingularia, vt hieroglyphica Aegyptiis ſolent; ſed & in eorum difficultatibus bona exerceri ingenia docet Rupertus Abbas Tuitienſis libro* IX. *in Ioannis Euangelium. Prouiſum enim hoc in Prouerbiis loquendi genus in loco diuinitus eſt, cùm vt bona exerceantur atque excitentur mortalium ingenia, tum vt ſuperba domentur, ſuamq; agnoſcant inſcientiam. Quæ enim citò percipiuntur, facilè vileſcunt, contemnuntur, ac iacent.*

Ceterùm in Nouo Teſtamento, *vt & in Vetere, plurima occurrere* Prouerbia, *ambigere nemo iure poteſt. Verùm enimuerò à* Parabolis *S. Scripturæ differre* Prouerbia *diſcimus: ſic enim ad Apoſtolos* CHRISTVS *ait:* Hæc in prouerbijs locutus ſum vobis, *Ioan.* XVI. *v.* 25. *anteà enim Parabolas præmiſerat: ideoq; B. Auguſtinus* lib. 1. de Trinitate cap. X. *vertit:* In ſimilitudinibus locutus ſum vobis. *Clariùs verò idem anteà Joannes Euangeliſta cap.* X. *v.* 6. Hoc prouerbium dixit eis IESVS. *Græcè eſt* παροιμίαν, *cùm* Parabola *ea eſſet, non* Adagium, *vt rectè Euthymius obſeruat. Eluceſcit & diſcrimen in illo Ezechielis cap.* XVIII. *v.* 2. *vt rectiùs quàm Hebræus, Latinus Vulgatæ editionis interpres vertit.* Quid eſt, *ait Propheta,* quòd inter vos Parabolam vertitis in Prouerbium iſtud in terra Iſraël, dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes

tes filiorum obstupescunt? *Principio enim tantùm Parabola fuit, qua significabatur, posteros immeritò luere delicta maiorum suorum; sed posteà parabolam hanc crebrò & palàm, domi forisq́; vsurpando, & vulgari sermone iterando vertit in Adagium.*

Obscuritas ergo Prouerbialis exemplis magis innotescit. Sic enim ouis & columba, *animantia simplicis indolis, pro simplici viro adhiberi solita. vt & Q. Fabius, cognomento Maximus, etiam* Ouicula *Romæ dictus est à morum candore, vt & à verruca in labro* Verrucosus. Lupus *contrà in Sacris litteris de improbo ac perditæ vitæ dicitur, à quo vt à pseudopropheta cauere Saluator iubeat, quòd pelle ouina lupum tegat.* Attendite, *inquit*, à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces, *Matth.* VII. *v.* 15. *Ita &* aurem vellere *ac perfodere, Exodi* XXI. *v.* 6. *Deut.* XV. *v.* 17. *pro attentum reddere dictum; vt & à Latinorum poëtarum principe expositum,*

—— Cynthius aurem
Vellit, & admonuit. ——

De his satis superq́; claudam enumeratis iterùm per saturam Parœmiographis antiquis. Edidimus ante annos sedecim typis Plantinianis Zenobium, *siue is Zenodotus est;* Diogenianum, Hesychij & Suidæ *excerpta; pòst etiam* Michaëlem Apostolium *integrè, qui* ἐν ἐπιτομῇ *tantùm Basileæ lucem aspexerat. etiam referam Adagiographos antiquos, sed quorum monumenta ad posteros minimè transmissa, nobis siue temporum iniuriâ, siue maiorum incuriâ perierunt. Aristotelis Parœmiæ à Laërtio enumerantur: Theophrasti ab Apostolio laudatæ in* Ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι; *Theætetus à Suida citatur, Æschylus Tragicus à Zenobio; Clearchus ibidem, & Cleanthes philosophi*

(*quorum hunc* Cleandam *vitiosè idem Apostolius nominet*) *Demon & Lucius Tarrhæus laudantur. Diogenianus à nobis è duobus calamo exaratis editus est, & è Vaticana Bibliotheca non pœnitenda Adagiorum silua; quam Plutarcho ab Erasmo attribui videas. Aldus quoque Manutius maior, cum fabulatoris Phrygis Apologis anonymum scriptorem* Adagialium *foras typis suis dedit. Quid multa? Gregorius quidam Cyprius Michaëli Apostolio additus, & Latinè nondum versus exiÿt. Adhæc & nostrâ memoriâ è Britannia, dono Richardi Montacutiÿ habemus cum Eusebio Cæsariensi Marcellum Ancyræ Episcopum, de aliquot Adagiis. vbi & ἄδηλον quemdam refert scripsisse* Prouerbiorum *ἔμμετρα quidem libris duobus, quatuor verò libris numeris soluta oratione Adagia. Quorum librorum incerti parentis iacturam supplebunt ἔμμετρα Scaligeri Parisiÿs & alibi euulgata. De recentioribus verò* Adagiorum *collectoribus omnes omnino copia & numero: Chiliadas enim quatuor reliquit, & quot excurrunt Centuriæ* 11. *Desiderius Erasmus Batauus superauit: quod opus iussu Patrum sacri Conciliÿ Tridentini Paulus Manutius à vitiosis perpurgauit, & euulgauit in Etruria.* Sacra *verò* Prouerbia *profanis miscuit recitando Polydorus Virgilius Vrbinas. Pòst verò, sed in aduersis militantes fidei castris, nonnulli, quos non repeto.*



INDEX
ADAGIALIVM SACRORVM NOVI TESTAMENTI.

EX MATTHÆO.

20. Non

EX MARCO.

EX LVCA.

19. Pro-

EX ACTIS APOSTOLOR.

EX EP. AD ROMANOS.

I. AD CORINTH.

II. AD CORINTH.

AD GALATAS.

CAP.

AVCTORES SACRI,
qui potissimùm adhibiti & illustrati.

GRÆCI.

APOLLINARII Psalterium.
S. Athanasius.
Basilius Magnus.
Clemens Alexandr.
S. Cyrillus Alexandr.
Cyrillus Ierosolym.
Dionysius Areopagita.
S. Epiphanius.
Eusebius.
S. Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyssenus.
S. Ignatius Martyr.
S. Ioan. Chrysostomus.
Ioan. Damascenus.
S. Isidorus Pelusiota.
Nonnus Paraphrastes in Ioan. Euang.
Socrates.
Sozomenus.
Synesius Cyrensis Episcopus.
Theodoretus.
Theophylactus.

LATINI.

S. Ambrosius.
Arnobius.
S. Augustinus.
Beda venerabilis.
S. Cyprianus.
S. Gregorius Papa.
S. Hieronymus.
Iuuencus.
Lactantius.
Optatus Mileuitanus.
Prudentius.
Sedulius.
Sulpitius Seuerus.
Tertullianus Afer.



APPRO-

APPROBATIO R.P. PROVINCIALIS.

CVM Adagialia ſacra Noui Teſtamenti à P. ANDREA SCHOTTO compoſita, quatuor Soc. noſtræ Patres harum rerum periti recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, concedo Balthaſari Moreto Typographo Antuerpienſi, poteſtate ad hoc mihi facta ab Admodum R.P. Generali, P. Mutio Vitelleſco, facultatem typis ea mandandi. In cuius rei fidem haſce manu mea ſubſcriptas, ſigilloque officij munitas dedi Antuerpiæ II. Iulij M. DC. XXVIII.

Iacobus Stratius Soc. IESV *in Flandro-Belgica Præp. Prou.*

APPROBATIO CENSORIS.

SACRA hæc Adagialia lucem merentur, quia ſacra maximè, & quia pia, atque adeò Chriſtiano Lectore digna. Ita cenſui Bruxellis VII. Id. Iul. M. DC. XXVIII.

Io. Bapt. Stratius D.T. Lib. Cenſor

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis Catholici & Potentiſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt, nequis *Adagialia ſacra noui Teſtamenti Græco-Latina, ſelecta atque expoſita à* P. ANDREA SCHOTTO *Soc.* IESV *Preſbytero*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in Germaniæ inferioris ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XIX. Iulij. M. DC. XXVIII.

Signat.

Steenhuyſe.

ADAGIALIA SACRA NOVI IESV CHRISTI TESTAMENTI,

Colligente & interpretante
R.P. ANDREA SCHOTTO Antuerp. Soc. IESV Presbytero.

EX MATTHÆO EVANGELISTA.

CAP. III. V. 10.

Iam securis ad radicem arboris posita.

Ἤδη ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται.



IGNIFICAT παροιμιακῶς, noxæ pœnam præstò esse, iuxta illud Lyrici:

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Et quidem innocentis CHRISTI agni immaculati necem, omniũ quæ vnquam patrata sunt scelerum summum, esse velut *securim ad radicem positam*, id est in populi Iudaici excidium vibratam, suoque tempore Titi Vespasiani, Romanique exercitus quasi dexterâ adigendam. Ioannis autem Baptistæ vox illa est, comminantis Iudæis ob crimina exitium, dum in deserto concionatur. Denuntiat impendêre excidium, vt euênit imperante Vespasiano Aug. quòd Messiam sustulissent, vt & CHRISTVS Ierosolymæ templum contemplatus prædixit, lacrymando ex commiseratione, lapidem lapidi non hæsurũ, Luc. XIX. v. 44. Arborem nimirum à radice exscindendam prædicit, admota securi. Per *securim* autem intelligit S. Isidorus Pelusiota lib. I. Epist. 64. *acutam & compendiosam Euangelij diuisionem*, qua omnis arbor non faciens fructum bonũ exscinditur. Ieremiæ cap. XXIII. v. 29. *Malleus conterens petram*, vbi LXX. legũt, πέλεκυς κόπτων πέτραν, vertit interpres S. Irenæi lib. V. cap. 17. *bipennis cædens petram. Falcis* mentio fit Apoc. cap. XIV. v. 8. *Mitte falcem tuam acutissimam, & mete vineam tuam.* Et in Zacharia cap. V. v. I. *Falx volans*, δρέπανος πετόμενος, de quo Cyrillus: *Vidi falcem instar auis in altum sublatam,*

tam, ac velut in cunctam terram transilientem, valdè longam, & latam dimidio minùs. Vide Chrysostomum Homil. xv. ad populum Antioch. & Homil. xxvii.

Homo etiam arbor est, & planta, sed inuersa, priscis Philosophis, Aristoteli ac Platoni. Sursum enim os pro radice gestat, at arbor terræ infixa radices agit. vnde Poëta:

Os homini sublime dedit. —

Et cęcus ille Euangelicus Marci viii. v. 24. homines vidit vt arbores ambulantes. Rami verò sunt hominis brachia atque crura, cum suis quæque digitis: vt Ezechiel cap. viii. v. 17. *Ecce applicant ramum ad nares suas.* & Iob cap. xxxi. v. 27. *Osculatus sum manum meam ore meo.* de ritu loquentes adorantium, vt de podagricis Persius Satyra v. v. 59.

Fregerit articulos veteris ramalia fagi.

Solent autem hortulani arbores, quæ spem sæpiùs frustratæ sunt, tandem radicitus exscindere, Lucæ xv. v. 5. 6. 7. 8. & in ignem mittere, Matthæi vii. v. 19. Lucæ xiii. v. 17. Iuuencus sacer Poëta sic in Euangel. hist. lib. i. v. 337.

Proxima roboreis iamiam radicibus instat
Cunctorum ante oculos acies sublata securis:
Cædentur siluæ steriles, ignémque fouebunt.

Similia Prouerbia veteres adhibent, *In acie nouaculæ: A filo pendere: Ex Orci faucibus:* similiaque. Pertinet huc, meâ quidem sententiâ, Demosthenis ad familiares de Phocione dictum, quoties contra se dicturus assurgeret, Ἡ τῶν ἡμῶν λόγων κοπὶς πάρεστι. *Orationum*, siue *rationum mearum surgit securis.* vt in Demosthenis & in Phocionis Vitis Plutarchus commemorat. addens etiam, illud Oratoris verbum ad mores Phocionis potiùs, quàm ad verba diserta esse referendum, quòd nutus & auctoritas sæpenumerò longo verborum ambitu atque ambagibus antecellat.

IBIDEM V. 12.

Ventilabrum in manu eius.

Τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ.

ITA Ioannes Baptista demonstrat penes CHRISTVM solum esse potestatem examinandi, iudicijque faciendi de peccatoribus, inquiens: *Ego quidem baptizo vos aquâ in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Hoc est, Repurgabit Ecclesiã; & *paleas*, id est, vacuos à bonitate homines, damnabit: *triticum* verò, hoc est, bonos, qui doctrina ac splendore vitæ vtiles sunt, sua gratia afficiet. Est enim *ventilabrum*, teste Columella, instrumentum, quo aliquid ventilatur, hoc est, in ventum iacitur, veluti fruges cùm in area purgantur. De hoc loquitur per Ieremiam cap. xxiii. v. 28. *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus.* De eodem sub figura alterius parabolæ Matth. xiii. v. 47. de sagena missa in mare huius sæculi, qua extrahuntur pisces omniũ generum, proiectisque malis piscibus, boni tantummodò reseruantur. Qui autem trituræ dant operam, ij areas sibi in locis

locis editis constituebant, vt citiùs quisquiliæ & glumæ à granis separarentur. Sic Isaias cap. XXIX. v. 5. *Erit sicut puluis tenuis multitudo ventilantium te.* id LXX. explicarunt, ὡς κονιορτὸς ἀπὸ τρόχου ὁ πλοῦτος τῶν ἀσεβῶν, *erunt sicut puluis de rota diuitiæ impiorum.* sed planissimè ibidem Isaias cap. XLI. v. 15. *Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues: & colles quasi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos.* Sic & S. Isidorus Pelusiota lib. I. Epist. 65. De hoc plura infrà ad illud Matthęi cap. XXV. v. 32. *Segregare oues ab hædis.*

CAP. IV. V. 4.

Non in solo pane viuit homo.

Οὐκ ἐπ᾽ ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος.

HEBRÆORVM more per *panem* omnis consuetus cibus intelligitur. Atque sic denotat, vt victus corpori, ita & verbum Dei animæ esse necessarium; quo si quis non vescitur, haud viuere meritò dicitur. Nam homo, vt ex Aristotele notum, constat ex animo & corpore: anima verbo Dei, corpus pane alitur. Vnde: *Lex est cibus animæ, & cibus animæ est per legem.* Ex quo illud: *Improbi dum viuunt, pro mortuis habentur.* Vt pisces non viuunt extra aquam, sic nec homo pius extra legem. Dicitur etiam: *Nemo vtilitatem capit ex lege, nisi eius verba dentibus moluerit.* Sic itaque *panis* à corpore ad animam transfertur, & *lex* ita vocatur, eò quòd sit quasi panis quo anima sustentatur. Hinc igitur in Adagium abijt, quod monet (si dictiones istę solitariè considerentur) extra cibaria & vestiaria, non vnius prætereà rei curam, sed multarum, homini ad vitam humanam, non belluinam degendam, esse suscipiendam. Alij exponunt de pane cælestis doctrinæ Euangelico, qui iustis numquam defuit, vt patientiæ ac tolerantiæ: vt Psal. LXXIX. v. 6. *Cibabis nos pane lacrymarum.*

IBIDEM V. 7.

Non tentabis Dominum Deũ tuum.

Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου.

SVMPTVM à CHRISTO citatur Deuteronomij VI. v. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis.* Vsurpauit CHRISTVS aduersus diabolum, à quo tentabatur. Quadrabit in eum, qui potentiorem se temerè lacessit, à quo facilè possit opprimi, vt explanat sanctus Isidorus Pelusiota lib. III. Epistola 164. Vel in eum, qui à Deo miraculum expetit, cùm opus non est.

CAP. V. V. 2.

CHRISTVS *aperiens os suum docebat eos.*

Ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ, ἐδίδασκεν αὐτούς.

HEBRAICVM dicendi genus, cuius & aliquam emphasim nonnulli esse volunt. *Aperire os*, est præire verbis, id est qui pręfatur, siue fari incipit, vt Iob cap. III. v. I. qui post longum diuturnumque silentiũ in verba prorumpit: *Post hæc aperuit Iob os suum.* Item is aperit os, qui sanat quempiam mutum. Marcus de Christo cap. VII. vers. 37. *Benè omnia fecit*, inquit, *& surdos fecit audire, & mutos loqui.* Moyses in Numeris cap. XXII. v. 28.

de asina Balaam: *Aperuitq́ Dominus os asinæ.* *Os aperire* etiam est aliquando liberè & clara voce loqui. Ezech. XXIX. v. 21. *Tibi dabo apertū os in medio eorum.* Ecclesiast. XV. v. 5. *In medio Ecclesiæ aperiet os eius.* At, *non aperire os*, est tacere, & non audere loqui, quod vsitatius habetur. Ezech. c. XVI. v. 63. *Et non sit tibi vltrà aperire os præ confusione tua.* Isti modi loquēdi, vt valdè prouerbiales, passim circumferuntur.

IBIDEM V. 3.

Beati pauperes spiritu.

Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι.

NONNVLLI *pauperes* pro mendicis capiunt; sed addit *spiritu*, qui propter Spiritum sanctum voluntate fiunt pauperes, & honestam inopiam tolerant: quo modo distinxit *pauperiem* à mendicitate. Martialis hoc versiculo lib. XI. Epigr. XXXIII.

> *Non est paupertas, Nestor, habere nihil.*

Et in hac sententia quadrabit in eos, qui posthabitis vitę commoditatibus, sese Religioni sacræ addicunt, in eaq́; acquiescunt. Alij propterea etiā quòd Euangelista *spiritu* addidit, *pauperem* interpretari malunt animi angustia quasi contritum & contusum, vt videantur hæc petita ex Psalmo XXXVI. v. 19. *In diebus famis saturabuntur.* Item Psal. L. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Quò etiam pertinet locus Isa. LVII. v. 15. *Habitans cum contrito & humili spiritu.* Vel, vt hîc Theophylactus sentit, in superbos quadrabit, quia CHRISTVS hîc illud agit, vt modestiæ humilitatisque Christianæ fundamentum iaciat, quando vt Adam per superbiam cecidit, ita ipse per humilitatem suos erigit, cùm plurimi iusti legantur, hodieque obseruentur cum paupertate conflictari, & inopiâ affligi; vnde quidam hyperbolicῶς dictum opinantur. De paupertate autem gentilium Valer. Maximus lib. IV. cap. 4. disserit, & Aristoteles Problematum sect. XXIX. nu. 4. Cur paupertas apud homines bonos potiùs esse, quā apud prauos soleat. Vide & S. Isidorum Pelusiotam lib. IV. Epist. 169. De pauperum apud Christianos cura agenda, disertè pieque beati Gregorij duo, Nazianzenus & Nyssenus disserunt.

IBIDEM V. 8.

Beati mundo corde.

Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ.

APTE conueniet in eum, quē nullius facinoris conscientia mordet, qui meritò prę cunctis, secundùm CHRISTI verbum, est ac dici debet beatus. Qui enim purus ab omni scelere, is Deo propinquior, is Sancta sanctorum ingredi potest, quæ pollui non debeant.

IBIDEM V. 9.

Beati pacifici.

Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί.

HOC verbum Prouerbij titulo passim à cunctis citatur, ostendere volentibus ad humanam felicitatem in primis *pacem* facere. Appellantur à Christo apud Matthæum *filij Dei* pacis amatores, qui dissensionum auctores non sunt, qui iniurias facilè condonant: cuiusmodi sunt, qui affectus animi ratione moderantur, qui nullam vitiorū luctam intus sentiunt,

tiunt, & foris studium pacis colunt. Ideoque *Deus pacis* appellari solet Rom.xv. v.33. & xvi. v.20. 2.Corinth.xiii. v.11.Phil.iv. v.9.1.Thes.v. v.23. 2. Thess.iii. v.16. Hebr.xiii. v.20. In has autem Beatitudines scripsit diserte Gregorius Nyssenus, Basilij M.frater, Homilias octo, seu De vita beata comparanda; item B. Isidorus Pelusiota lib.iv.Epist. 169. quæ pij legant, vt sitim expleant.

IBIDEM V. 14.

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.

Οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι, ἐπάνω ὄρους κειμένη.

QVEMADMODVM vrbs monti imposita latêre non potest, sic qui illustri est dignitatis loco constitutus, & personam sustinet publicá, caueat ne offendiculo sit alteri. Scandali enim grauissimum crimen effugiendum. Et Ecclesia, Dei ciuitas, veluti vrbs, in illustri est loco, & spectabilis, non, vt hæretici fingunt, inuisibilis, inaspectabilis, & lucifuga. *Qui enim malè agit, odit lucem*; Lucæ iii. v.20. de qua Vates Regius Psal.xlv. v.5. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* quod D.Hieronymus ad illud Ecclesiastæ x. v.15. *qui nesciunt in vrbem pergere*, ad Philosophos gentium diserte refert. *Lege*, inquit, *Platonem, Aristotelis reuolue versutias, Zenonem & Carneadem diligentiùs intuere*, &c. Hoc idem & de hæreticis ac nouatoribus sentiendum, quòd frustrà laborent & affligantur in studio Scripturarum, & ciuitatem inuenire non valeant. de quo Psalmista Psal.cvi.v.4. *Viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* Veteres de exemplo illustri, siue virtutum siue vitiorum, id adhibent: vt Xenophon in Agesilao: *Minimè crimen latere potest, quidquid clarißimi viri fecerunt.* Et Satyricus Iuuenalis Sat.viii. v.38.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò maior, qui peccat, habetur.

& Flaccus lib.ii. Oda x. v.10.

— Celsæ grauiore casu
Decidunt turres. —

item Claudianus in Eutropium:

— Tolluntur in altum
Vt lapsu grauiore ruant. —

Ioannes Chrysostomus Homil. xl. in Matth. de Dauide: *Grauiter cadit ob duas caussas, vel propter magnitudinem peccati, vel propter altitudinem dignitatis. Ex alto enim ruina grauior est, & magnum sonum facit.* Addit Nazianzenus Orat. xxxvi. quæ quarta est de Theologia: *Fieri potest, vt quædam ciuitas abscondatur, maiori nimirum aliquo monte ipsius luminibus obstruente.*

IBID. V.15. & MARCI IV. V.21. & LVC.VIII. V.16.

Lucernam ponunt super candelabrũ.

Λύχνον τιθέασιν ἐπὶ τὴν λυχνίαν.

AFFINE superiori Prouerbium ac vicinum. Iubet CHRISTVS iactantiam & arrogantiam vitare; contrà virtutem in claro lumine collocare, vt ceteris præluceat. *Sic luceat*, inquit, *lux vestra.* Sic & CHRISTVS Ioan.cap.v. v.35. de Io. Baptista, *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Clemens Alexandrinus lib. i. Stromatum: *Ne-*

mo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt omnibus luceat, qui eodem accepti ſunt conuiuio. Quid enim iuuat ſapientia, quæ non efficit ſapientem eum qui poteſt audire? & lib. VII. *Dicunt Matthiam Apoſtolum inter cetera dixiſſe, Si electi vicinus peccauerit, peccauit electus; nam ſi ita ſe geſſiſſet, vt iubet verbum, eius vitam eſſet vicinus reueritus, vt non peccaret.* Simili parabola CHRISTVS Matth. XXV. v. 24. reprehendit eos qui talentum à Deo acceptum, vt id impendant in animarum ſalutem, in ſudario ſeruant, aut in terram defodiunt. & Prouerb. XI. v. 26. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis.* & cap. V. verſ. 16. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Sic Poëta Perſius:

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire, hoc
ſciat alter.

Huc pertinent & illa Adagia: *Muſicæ occultæ nullus reſpectus*, apud Chiliaſten, ex Suetonij Nerone cap. XX. & Agellio lib. XIII. Noct. Attic. c. 29. & Luciano in Harmonide. Et: *Fons obſignatus*, Cantic. IV. v. 12. ſic enim Siracides Eccleſiaſtici XX. v. 32. *Sapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Theſauri quoque abſconditi & fontis obſignati meminit Ptolemæus Philadelphus Rex, apud Epiphanium lib. De menſuris & ponderibus, initio ſecundæ ad Iudæos Epiſtolæ: Θησαυροῦ κεκρυμμένου, καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης, τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; *Theſauri occulti, & fontis obſignati, quæ eſt vtilitas in vtriſque?* Simile de Dionyſio ſeniore Plutarchus in Regũ Apopth. in princ. M. Tullius in Archiana: *Pudeat illos qui ita in ſtudijs ſe abdiderunt, vt ad vitam communem nullum fructum proferre poſſint.* Horatius Oda 9. libro IV. Carminum:

Paullum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Lucanus in Carmine ad Piſonem:

Abdita quid prodeſt generoſi vena
metalli,
Si cultore caret?

Lacedæmonij τυφλὸν Πλοῦτον *cæcum Plutum* vocarunt de inutilibus ac nullius frugis diuitijs, auctor Plutarchus in Lycurgo. Haud abſimile eſt quod M. Fabius dixit, *Orationem mente conceptam, niſi eloquaris, ſimilem eſſe gladio in vagina recondito:* & Plutarchus lib. Περὶ τοῦ, Λάθε βιώσας, quod Epicurei dictum erat, *Latenter eſſe viuendum.*

IBIDEM V. 17.

Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.

Οὐκ ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ πληρῶσαι.

THEOPHYLACTVS *legem* pro omni ſacra Scriptura capit: quod quis inſtar prouerbij aptè vſurpabit, cùm perperàm ob benefacta impugnatur, vt explicat S. Iſidorus Peluſiota lib. I. Epiſt. 371.

IBIDEM V. 18.

Iota vnum aut vnus apex non præteribit.

Ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ.

PROVERBII vſus paſſim, cùm ſignificatur futurum, vt nihil non ad amuſſim fiat. Tranſlatio eſt à librario, qui ſi non omiſerit *iota*, quæ apud He-

Hebræos *Iod* nuncupatur,& eſt minutiſſima omnium litterarũ, & nonnumquam ita ponitur vt planè vacare videatur; item *apicem* velut notam diſtinctionis ſuperadiecerit, is perfectiſſimè ſcripſiſſe meritò iudicabitur. Chromatius Aquileienſis Epiſcop. in Matthæum hoc explicat hoc loco, & apud Iacobum Gretſerũ Commentario de Cruce Tom. II. Theophanes extrema Oratione in Crucis Exaltationem. *Apex* autem ab Hebræis pro punctis ſeu vocalibus, vt iod puncto adſcripto, accipitur. Nata autem hæreſis maxima ex hac littera *Iota*, licet omnium minima, Arianorũ, qui pro ὁμούσιος dicebant ὁμοιούσιος, ideoque negabant Chriſtum eſſe eiuſdem cum Patre eſſentiæ. Vide Irenæum lib. I. cap. I.

IBIDEM V. 29.

Si oculus tuus dexter ſcandalizat te.

Εἰ ὀφθαλμός σου δεξιὸς σκανδαλίζει σε.

AB oculis facta tranſlatio, quòd pars ſint corporis pretioſiſſima. vnde adagium: *Pupillâ oculi clarior*, &, *Ferre in oculis*, pro valdè diligere. Vel quòd feneſtræ animi oculi ſunt, quia non tam oculus ipſe eſt nobis offendiculo, quàm id quod per eum cernimus. Metaphora autem à Chirurgorum arte deſumpta, qui, cùm per vnum membrum totum periclitatur corpus, vt corpus conſeruent, membrum exſcindunt. Valet ad oſtendendum, nullius, ne quidem amici, cauſâ peccandum eſſe; & eos omnes, qui nos à Deo alienant, à nobis repellendos. Sic S. Iſidorus Peluſiota lib. I. Epiſt. 83. & S. Hilarius can. IV. in Matth. Athanaſ. qu. LXX. Cyrillus libro XII. in Ioan. cap. 28. Anaſtaſius qu. LXXIII. Saluianus lib. III. de Prouidentia, Theophylactus hoc loco. Probat & Pacianus Ep. III. adu. Nouatianos ex ſimili ſententia, quæ legitur Deut. XIII. v. 6. 7. 8. *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus*, &c. Alij animi affectus hîc intelligi volunt, quos D. Paulus ad Coloſſ. III. v. 5. quia ex corpore proficiſcuntur, *membra corporis* appellat. *Mortificate*, inquit, *membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiã, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam.* & ibi Hieronymus. Voluptatem autem huius ſenſus videndi, ſi vitioſa ſit, exterminandam ait Cicero de Orat. *Oculi ſunt, quorum intentione, tum remiſſione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum ſignificamus.* Plautus *oculos* pro animo itidem ponit:

Nam ego quidem meos oculos habeo,
nec rogo vtendos foris.

IBIDEM V. 30.

Expedit vt pereat vnũ membrorum.

Συμφέρει ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μελῶν.

FIGVRA prouerbialis in ore eſt, quoties ſignificatur, minus damnum maiori anteponendum, vt & fit in nociuis & putridis membris. Simile illud in ore Caiphæ de CHRISTO, Ioan. XI. v. 50. *Expedit nobis vt vnus moriatur pro populo.*

IBIDEM V. 37.

Eſt, eſt; non, non.

Ναί, ναί· οὔ, οὔ.

PROVERBIO dicitur, quoties teſtimonium purè & ſanctè datur. Iubet igitur Dominus, vt ſi ſermo noſter

ster affirmat, verè, simpliciter & constanter affirmet; sin negat, simpliciter & constanter neget: ita enim fiet, vt absque omni iuramento fidẽ mereamur. Excepit verba CHRISTI cap. v. v. 12. vbi cùm generatim præmisisset, *Ante omnia, fratres mei, nolite iurare*, &c. subdit: *Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non.* Cicero in Lucullo, *Sequens probabilitatem, vbicumque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut* ETIAM, *aut* NON *respondere possit.* Sic Ausonius ad Paulinum:

— cùm multa loquaces
Ambiguis sererent verbis, contra omnia solum
EST *respondebat, vel* NON.

Idemque Eidyllio IX.

EST *&* NON *cuncti monosyllaba nota frequentant:*
His demptis nihil est hominum, quod sermo volutet.
Omnia in his, & ab his sunt omnia, siue negotî
Siue otî quidquam est, seu turbæ, siue quietis.

Et mox:

Si consentitur, mora nulla interuenit, Est, est:
Sin controuersum, dissensio subijciet Non.

Sic denique concludit:

Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant?

Ita Hispanis Italisque *si* & *non*, & Gallis *ainsi* & *non* natat in ore. Existimant autem quidam, conduplicationem hanc ad eumdem non pertinere, sed priorem particulam interrogantis, posteriorem respondentis esse, vt illud Maronis Critici sic interpungunt lib. IV. Aen. v. 660.

— sic? sic iuuat ire sub vmbras.

Alij putant, geminatam vtramque particulam emphaseos caussâ, quasi Dominus, propterea quòd verè iuramus vt nobis credatur, iubeat vt genuina potiùs affirmatione & negatione vtamur. D. Augustinus in Enchiridio cap. 17. & 22. Sensum, inquit, esse dicamus, vt semper verum loquamur. Sic enim vsurpari has particulas liquet, & doctè probat Guiliel. Estius ad locum Pauli 2. Cor. 1. vers. 17. vbi sermonem suum testatur Apostolus non fuisse varium & inconstantem, vt scilicet rem eamdem modò affirmaret, modò negaret; diceret, & non præstaret, sicut parasitus ille apud Terentium loquitur in Eunucho:

Negat quis? nego: ait? aio.

Ant. Augustinus ICtus Vir Cl. libro 1. Emendat. Iuris, cap. 2. & 3. agit de locis Iuris ciuilis, quibus multi negationem addant vel demant, alijque Iuris interpretes eruditiores.

IBIDEM V. 38.

Oculum pro oculo, dentem pro dente.
Ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος.

De pœna talionis à Moyse introducta, est dictum Exodi c. XXI. v. 23. *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Leuit. XXIV. v. 20. *Qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Deut. XIX. v. 19. *Reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit.* Iudicum cap. 1. vers. 7. Adonibezec Regem captum à Iosue eo supplicio

plicio multauit quo ſolebat ipſe victos à ſe crudeliter plectere. Sic loquitur: *Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Hinc S. Orientius Poëta Hiſpanus nuper repertus de Talionis lege:

Hinc fuit vt Dominus prima ſub lege iuberet
Pēſari paribus crimina ſupplicÿs, &c.

Similia exempla Seneca in Hercule Furente, & Oethæo, de Buſiride & Diomede; & de Sinni in Theſea apud Claud. lib. 2. in Ruf. & Plutarchum in Theſeo, vbi ſcribit Damaſcen Procuſten interemptum à Theſeo. Exſtat apud Agellium diſputatio lib. xx. Noct. Attic. cap. 1. inter Sextum Cæcilium Iureconſultũ, & Phauorinum Philoſophum. Inter Leges autem XII. Tab. quæ quaſi naturæ erant documenta, vna huic erat ſimilis, his concepta verbis: SI MEMBRVM RVPIT MEVM, EX PACTO TALIO ESTO. Exſtat & de hac re apud Ariſtotelem libro v. de Moribus ad Nicomachum, & ornat veteri verſu Philoſophus:

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.

Si quod quis fecit patitur, iuſtiſsima lex eſt.

& Æſchylus:

Δράσαντι γάρ τοι καὶ παθεῖν ὀφείλεται.

Perpetrāti expedit pati quod fecerit.

Pauſanias in Meſſeniacis auctor, veteres dixiſſe Νεοπτολέμειον τίσιν, *Neoptolemicam vindictam*, quando quod quis in alios fecit, idem ipſe patitur: & in hiſtoria Eſther, *Patibulum Aman.* Plura congeſſit P. Mart. Delrius noſter ad illud Pſal. VII. v. 16. *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueā, quam fecit. Cōuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Affine illud Senecæ ſenioris in Declamat. *Eſt Deus immortalis lentus quidem, ſed certus vindex generis humani: & magna exempla in caput inuenientium regeſſerunt, vt iuſtiſsima patiendi vice, quod quiſque alieno excogitauit ſupplicio, ſæpè excipiat ſuo.*

CHRISTVS hanc legem ſuſtulit, cùm dedit diſcipulis ſuis iſtiuſmodi præcepta: *Ne reſiſtatis malo: ſed quiſquis impegerit alapam in dexterā tuam maxillam, obuerte illi & alteram.* Item: *Diligite inimicos veſtros, benefacite ÿs qui oderunt vos.* vt etiam monet Petrus 1. Epiſt. cap. III. v. 9. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: ſed è contrario benedicentes.* vt & Prouerb. XVII. v. 13. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.* & XX. v. 22. *Ne dicas: Reddam malum.* & Paulus Rom. XII. v. 17. *Nulli malum pro malo reddentes.* 1. Theſſ. v. v. 15. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* Præclarè & copioſè Tertullianus lib. IV. aduerſus Marcionem c. 16. *In tantum*, inquit, *aperitur nobis, quomodo oculū pro oculo, & dentem pro dente cenſuerit, non ad ſecundam iniuriam talionis permittendam, quam prohibuerat interdicta vltione; ſed ad primam coërcendam, quam prohibuerat talione oppoſita: vt vnuſquiſque reſpiciens licentiam ſecundæ iniuriæ, à prima ſcipſum contineret. Faciliùs enim vim comprimi ſcit repræſentatione talionis, quàm repromiſſione vltionis. Vtrumque autem conſtituendum fuit pro natura & fide hominum, vt qui Deo crederet, vltionem à Deo exſpectaret; qui minùs fideret, leges talionis timeret.* Et infrà: *Quoniam & diſciplinæ intereſt iniuriam vindicari. Metu enim vltionis omnis iniquitas re-*

frænatur. Ceterùm paßim emissa libertate, dominabitur, vtrumque oculum effoßura, & omnem dentem excitatura, præ impunitatis securitate. Consentit cum his etiam Theodoretus in Leuitic. Quæst. XXXIV. *Cur,* inquit, *oculum pro oculo erui, & dentem pro dente, & quæcumque similia præcipit? Non hæc lege sanciuit vt ea paterentur, sed ne admitterent quæ prohibita sunt. Metus enim patiendi, libidinẽ agendi coërcet.* Quia, vti Cicero in Epist. III. lib. XII. ad Famil. verè ait, *quid est quod contra vim sine vi fieri poßit?* Sic & S. Isidorus Pelusiota lib. II. Epist. 133. *Illud,* inquit, *Oculum pro oculo, & dentem pro dente, Iudæis à mansuetißima illa natura idcircò præscriptum ac lege sancitum esse opinor, non vt ijs, à quibus iniuriam accepissent, veniã negarent, crudelesq́; se præberent, quemadmodum censent Manichæi, qui vetus Testamentum insectantur; sed vt eadem quæ agunt perpeti metuentes, ab iniuria abstineant,* &c. Et lib. IV. Epist. 86. *Quod lege cautum est, vt oculus pro oculo excutiatur, non est crudele neque immane: sed siquidem is sensus, qui prima fronte apparet, accipiatur, iustitia plenum est; si verò interior sensus expendatur, etiam humanitate refertum est. Nam vt eum qui alteri quid iniquè facere meditatur, compescat metu similis perpeßionis, & ita improbitatem reprimat, ideò hoc iure meritoq́; sic sanciuit.* Et Epist. 209. *Lex quidem pœnæ mensuram definit æqualitate perpeßionis, dum iniuria affectis permittit facere quantum perpeßi fuerint, metu videlicet, ne quis similia patiatur ijs quæ fecit, cohibens malum antequam fiat (hæc enim oppositio profundam legislatoris mentem attingit:) Euangelium verò mansuetudine lenitatéque eius, cui malum toleratur, stitit atque inhibuit improbitatem, ne ad deteriora progrediatur.* Hoc quod CHRISTVS primus fecit, iussit, hoc cunctis qui imitarentur præmium proposuit, quod commemorat Ambrosius in Lucam libro V. *Et tamen,* inquit, *quoniam studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt, & exemplum nobis attulit, & mercedem spopondit è cælo, filios Dei futuros pollicens, qui fuerint imitatores eius,* &c.

IBIDEM V. 39.

Non resistere malo, sed præbere percutienti alteram maxillam.

Μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ, ἀλλὰ τῷ ῥαπίζοντι στρέφειν τὴν ἄλλην σιαγόνα.

VSVRPATVR, cùm patientia ac mansuetudo cuipiã inculcatur. Exempla huius constantiæ extant varia in Vitis SS. Elzearij Comitis, Stephani Hungariæ, S. Ignatij Soc. IESV fundatoris, Patriarchæ nostri.

IBIDEM V. 43.

Diliges proximum.

Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον.

LICEBIT vti prouerbio, cùm propinquitas vicerit humanitatem, amicitia verecundiam. Qualiter autem amicus se amico ostendere oporteat, Cicero in Lælio prçclarè demonstrat, ita concludens: *Ipse se quisque diligit, non vt aliquam à seipso mercedem exigat charitatis suæ, sed quòd per se sibi quisque charus est.*

IBIDEM V. 46.

Nónne & publicani hoc faciunt?

Οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι τὸ αὐτὸ ποιοῦσι.

PVBLICANI à Romanis, à Græcis τελῶναι dicti, publica pro Principe aut Republica vectigalia colligebant, auarum hominum genus, & odiosum populo, etiam CHRISTI tempore. Vnde nata quęstio an liceret tributum Cæsari dare, Matth. XII. v. 14. Lucæ XX. v. 22. & peccatoribus etiam annumerati, vt patet Matth. IX. v. 10. 11. & XI. v. 19. & XVIII. v. 17. & XXI. v. 31. 32. & Lucæ III. vers. 12. 13.

CAP. VI. V. 2.

Noli tuba canere ante te.

Μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου.

IN eum qui ad ostentationem cuncta fecerit, rectè dicetur. A CHRISTO in hypocritas est vsurpatũ, quippe quos plus spectator delectaret, quàm benefacti conscientia. Sumpta metaphora ab triumphum agentium ac Tragœdiarum & Comœdiarum more, quarum initio tubis canitur, vt populus admoneatur histrionem exire, oculisque & auribus attendant. Nam & hoc loco, quasi Tragœdiam aut Comœdiam aliquam Pharisæorum CHRISTVS inducit, & *hypocritæ* etiam à Græcis dicti fabularum actores seu histriones, qui personati & cum larua prodibant.

IBIDEM.

Receperunt mercedem suam.

Ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.

DE hypocritarum præmio decernitur, quibus omni virtute exutis, vt hominibus probentur, id mercedis tantùm debetur, gloriosa nempe prædicatio qua soli digni erant, aut quam quærebant, vt Hieronymus & Augustinus. Sic Plutarchus in Solone de scortatore ait: Τόν τε μισθὸν ἀπέχει, *mercedem suam refert*. Conueniet & illud, si cum ironia efferatur, in eos qui tandem commissorum pœnas luunt: quare hoc etiã prouerbiali sermone notatur auarus. Sic B. Gregor. Curæ Pastoralis p. 3. Admonit. 20. & Rupertus lib. IV. in Genesim cap. 10. lib. II. de Victoria verbi Dei c. 22. De quo & infrà, ad Adagium illud, *Si granum frumenti*, Ioan. XII. v. 24.

IBIDEM V. 3.

Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.

Μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου.

IVVENCVS Poëta sacer sic ferè extulit lib. 1. Euang. Hist.

Dextera quid faciat, fas est nescire sinistram.

Iubet adagium occultè & sine arrogantia eleëmosynam facere. Chromatius Aquileiensis Episcopus (quem etiam sanctissimum doctissimumque nominat B. Hieronymus Præfat. in Paralipomena) per *dexteram* hîc intelligit iustos, per *sinistram* peccatores; quia in extremi iudicij die iusti à dextris erunt, à sinistris verò impij collocandi, Matth. XXV. v. 33. Hinc colligit,

ligit, impios ignorare debere quid pij operentur. Theophylactus verò Bulgariæ Episcopus in VI. Matth. caput ὑπερβολικῶς locutum CHRISTVM autumat, & dissimulando tanto studio atque occultando bona opera, inprimis verò liberalitatem in pauperes, vt ne sinistra quidem, tametsi corpori coniuncta sit, & in distribuenda stipe inopi cooperetur, munificentiã illam cognoscat. Addit, immò si fieri potest, omnium benefactorum suorum planè obliuiscatur, ne crebrâ memoriâ insolescat. Quemadmodum & in beneficijs dandis præcipere Philosophi solent, vt qui contulit non meminerit, sed in quem collatum beneficium est, memoria assiduè voluat, vt differit Cicero lib. I. Offic. & tribus libris L. Seneca. Vtemur hoc adagio, cùm ab inani gloriola beneficentiæ erga pauperes deterrere quemq; volumus,

Ne benefacta suis computet articulis.

Addam B. Hieronymi locum in Epistolam ad Galatas cap. v. extremo: *Eleëmosyna, si ob laudem fiat, inanis gloria est. Longa oratio, pallor ex ieiunio, ipsa quoque castitas in matrimonio, viduitate, virginibus, sæpè plausum quærit humanum: & quod dudum timeo dicere, sed dicendum est, martyrium ipsum, si ideò fiat, vt admirationi & laudi habeamur à fratribus, frustrà sanguis effusus est. Loquatur Apostolus, loquatur vas electionis: Si tradidero corpus meum vt glorier, charitatem autem non habeã, nihil mihi prodest.* Vbi pro *glorier* in Vulgata est hodie *vt ardeam*, 1. Corinth. XIII. v. 3. & Græcè ἵνα καυθήσωμαι, id est, *vt comburar*, vt appareat Hieronymũ καυχήσωμαι legisse. Vulgi quoque sermone hodie vsurpatum de ignaris atque idiotis, *Ne dexteram quidẽ agnoscit suam*, vt apud Ionam Prophetam c. IV. v. 11. *Nesciunt quid sit inter dextram & sinistram suam.* Quale & illud Iuuenalis vulgò tritum Satyra VI. v. 301.

Inguinis & capitis quæ sint discrimina nescit.

Lege Epistolam 84. lib. I. Isidori Pelusiotæ, vbi monet, *Si quid boni facis, ab omni ostentatione ac iactatione alienus sis, præsentes scilicet plausus minimè captans, verùm futuras coronas exspectans.*

IBIDEM V. 7.

Multum loqui.

Βαττολογεῖν.

VETAT CHRISTVS in precibus fundendis vti summa πολυλογίᾳ, & multos sine mente sonos edere, & sine interna cordis attentione. Sic Isaias Propheta cap. XXIX. v. 13. *Appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me.* Matth. XV. v. 8. & Marci VII. v. 6. In verbosos ergo id iactari solitum, & tædio enecantes, etiam à profanis Scriptoribus, apud Chiliasten in Βατταρίζειν & Βαττολογία, nomine ducto à *Batto* quodam Poëta, qui hymnos pangeret, eadem sæpiùs cum tædio inculcando, vt auctor est Suidas. Alij deriuant à Batto quodã, cui Ouidius lib. 2. Metamorph. ταυτολογίαν attribuit, v. 703. sic repetens:

——— Sub illis
Montibus, inquit, eram, & eram sub montibus illis.

Non damnat hîc CHRISTVS orationes prolixas, sed gentilium illam persuasionẽ suis discipulis vult adimere, qua putabant se exaudiri in multiloquio,

loquio, & sermone artificiosè composito, ac non potiùs in humili ac feruenti cordis in Deum eleuatione. Proinde apud eum nec multis nec paucis verbis opus est, vt doceatur de nostra necessitate: scit enim quibus opus habeamus.

IBIDEM V. 16.

Exterminant facies suas.

Ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα αὐτῶν.

VT appareant macra & pallida facie, obscurant calorem natiuum faciei, vitiant, & corrumpunt. Quod attinet ad verbum *appareant*, sic animaduertimus vsurpari à Cicerone libro II. de Finibus: *Membra nobis ita data sunt, vt ad quamdam rationem viuendi data esse appareant.* Minimè igitur necesse fuit quidquam mutare in *pareant*, vt anteà in quibusdam legebatur. *Exterminant* autem vertit non Hieronymus, sed vetus ante illum Interpres, vt ex Hilario Can. 5. & Augustino l. II. de Serm. Dom. perspicuum est. Nam Hieronymus (cùm *exterminare* sit extra terminos eijcere) *demoliuntur* reddendum putat: Hilarius *conficere*, id est obscurare, legit; & Chrysostomus διαφθείρουσι, *corrumpunt.* Propriùs alij *obscurant* reddunt. Sic Ioan. Maldonatus. Hinc verbum CHRISTI in adagium versum est, quod conueniet in eos, qui se comparant ad fraudem committendam.

IBIDEM V. 21.

Vbi thesaurus, ibi & cor.

Ὅπου ὁ θησαυρὸς, ἐκεῖ καὶ ἡ καρδία.

IVBET Saluator corde cælestia tractare, eodemque per eleëmosynam thesaurum transferre, qui & cor, vt sit, attrahat. Vnde Psalmista Regius Psal. LXI. v. 11. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Ergo cælestibus potiùs occupari cor vult thesauris: & Syracides Eccli. XXXI. v. 8. beatum diuitem pronuntiat, *qui inuentus est sine macula, & qui post aurũ non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris.* Et Salomon Prouerb. cap. XXIII. vt & Paulus Coloss. III. v. 1. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* & Dauid Psalmo XLVII'. v. 18. *Cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* quod & Iob XXVII. v. 19. *Diues cùm dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Præclarè Tullius lib. 1. Offic. *Nihil est tam angusti animi, tamq; parui, quàm amare diuitias; nihil honestius magnificentiúsque, quàm pecuniam contemnere.* Meliùs verò Fulgentius Ruspensis Episc. Serm. de Cõfessoribus, *Vt ergo*, inquit, *in cælis thesaurizemus, cælestia diligamus. Vis nosse vbi thesaurizas? attende quid amas. Vis nosse quid amas? attende quid cogitas. Ita fiet vt thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum indicio tuæ cogitationis intelligas.* Similis est Philosophorum sententia Latinis vsitata, *Cuiusque animum illic magis esse vbi amat, quàm vbi animat.* Quemadmodum Xenocrates Alexandro Magno quinquaginta talenta dono mittenti responderi iussit, se non indigere. Democriti quoque circumfertur & laudatur sententia: *Diuitiæ si non habentur, desiderio affligunt; si habentur, curâ metuq; discruciant; si amittuntur, mœrore ac dolore conficiunt.* Vide Diogenem Laërtium

lib. I. de Pittaco vno in VII. Sapiētibus qui Crœsi munera recusauit, & l. VI. de Cratete; & Senecam Ep. XIX. Vsurpari Adagium potest in corpore quidem præsentes, animo verò peregrinantes. Talis Phædria apud Comicum in Eunucho:

— Absens vt sies
Dies noctesq; me ames, me desideres,
Me somnies, me exspectes, de me cogites,
Me speres, me te oblectes, mecum sis,
Meus fac sis postremò animus, quando ego sum tuus.

& Maro lib. IX. Aeneid. v. 185.

— An sua cuique deus fit dira cupido?

Hoc tamen, teste Hieronymo hîc, non solùm de pecunia, sed & de cunctis voluptatibus sentiendum est.

IBID. V. 24. ET LVC. XVI. V. 13.

Nemo potest duobus dominis seruire.

Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν.

THEOPHYLACTVS hîc contraria præcipientes dominos exponit, τοὺς τὰ ἐναντία ἐπιτάττοντας: Athanasius verò Dialogo I. de Trinitate, ἀνομοίαν ἔχοντας καρδίαν, *dißimili ingenio* vel *animo præditos*. Iuuencus lib. I. v. 638. sic extulit:

Nemo potest dominis pariter seruire duobus.

& Ouidius alibi in Eroticis:

Est vnum è dominis emeruisse satis.

CHRISTVS demonstrans amorem non posse diuidi, auaris Iudęis obijcit, neminem vna eademque opera Deo simul & Mammonę, id est Pluto diuitiarum deo ac dæmoni, vacare posse; *quæ* enim *conuentio* CHRISTI *ad Belial?* II. Corinth. VI. v. 15. aut enim vnum odio habebit, & alterũ diliget: aut si vtrumque diliget, adhærebit alteri, seruietque intentiùs; alteri verò contemnendo negligentiùs seruiet. Tertullianus lib. de Spectaculis c. 26. hæc adhibet, & lib. de Corona militis cap. I. & de Idololatria c. 12. & lib. II. ad Vxorem cap. 3. Clemens verò Alexandr. lib. III. Stromatum de Apostolis loquens: *Iuxta Saluatoris mandatum, nolebant duobus dominis seruire, voluptati & Deo.* Hieronymus disertè hæc explanat ad illud Isaiæ capite XXVIII. v. 20. *Coangustatum est stratum ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest.* ibidemque Nic. Liranus: *Cor humanum non potest simul capere Deum & diabolum: sed suscepto diabolo per peccatum, exit Deus; suscepto Deo per charitatem, exit diabolus.*

Nec regna sociũ ferre nec tædæ sciũt.

Lucanus lib. I.

— Omnisq; potestas
Impatiens consortis erit. —

& Naso:

Non benè conueniunt, nec eadem sede morantur,
Maiestas & amor. —

Similia prouerbia sunt, *Rubeculas duas saltus non capit.* &, *Vna arbor non alit duos eritacos.* Externi quoque, vt Philosophi ac Medici, negabant Philosophiæ ac Medicinæ cum habendi cupiditate operam esse dandam, neque excellere in ijs posse. Crates enim Thebanus, homo anteà ditissimus, cùm ad philosophandum Athenas tenderet, magni auri pondus abiecit, ratus se simul & virtutes & diuitias possidere non posse, vt beatus Hieronymus ad Paulinum, de monachi institutione refert: & Galenus Medicorum coryphæus Oratione, *Quòd optimus*

mus medicus, sit etiam philosophus, medicinę studiosum ab opum quęrendarum studio retrahendum existimat. Necessarium itaque esse, vt qui vehementiùs incumbat in alterũ, alterum negligat. Potest & ad varia transferri Prouerbium, vt de vitanda plurium amicorum familiaritate. Pręstat enim vno alteróve contentum amico, illi facere satis; non pluribus intendere, vt rebus sic nec amicis. Ita Plutarchus singulari Cõmentario περὶ Πολυφιλίας, ducta similitudine à flumine, qui si in varia cursum dirigat, lenis fluit; vberiùs, si vnum seruet continenter cursum. Sic & Naso:

Grandia per multos tenuantur flumina riuos,
Magnaq; subducto stipite flãma perit.

& Iuuenalis de variè distractis Satyra VII. v. 65.

Pectora nostra duas non admittentia curas.

& Plautus Mostellaria:

Simul flare sorbereq; haud facile factu est.

& vulgi id sermone vsurpatum:

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

M. Tullius Philippica XI. *Duas res, magnas præsertim, non modò agere vno tempore, sed nec cogitando quidem explicare quisquam potest.*

IBIDEM V. 34.

Crastinus dies sollicitus erit sibiipsi.
Ἡ ἄυριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς.
Et: *Sufficit diei malitia sua.*
Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.

VERTVNT alij: *Sufficit cuiq; diei sua afflictio* vel *molestia.* Iuuécus l. I. *Quisque dies sibimet satis est pro fraude diurna.*

Iubet CHRISTVS nimiã vitare sollicitudinem, quæ cum diffidentia est cõiuncta Numinis, in ijs qui de futuris rebus & procul existentibus anxiè cogitant. Cùm enim satis malorum in hac calamitosa vita vnusquisque dies afferat, quibus continẽter affligimur, non est quòd quæramus quid sit futurum cras. Videtur igitur concedere, vt de præsentibus solliciti sint, qui futura prohibet cogitare: quandoquidem cuiusque diei malitia (hoc est, afflictio, labor, angustia sæculi; sic enim D. Hieronymus interpretatur hunc disserens locum) sat nos distinent, vt non sit otium meditandi de futuris rebus. Dauid Psalmo LXXII. v. 10. *Dies pleni inuenientur in eis.* Cicero lib. XV. ad Atticum, Epist. VIII. *Aliquid crastinus dies ad cogitandum nobis dabit.* Et Tusculanarum Quæst. lib. III. è Philosophorum asserit sententia, *stultam esse meditationem futuri mali, aut fortasse ne futuri quidem; satis esse odiosum malum omne cùm venerit.* Tale illud Philetæri Comici apud Athenæum l. VIII. Dipnosoph. Latinè redditum:

Hominem mortalem facere quid tandem est opus,
Nisi suauiter æuum degere, atque in diem?
Modò habeat vnde, prætereà curandum nihil.

& quæ deinceps sequuntur. Item Posidippus & ipse Comicus, *Dies*, inquit, *semper curandùm noui quid adferat.* Anacreon quoque Oda XV.

Hodierna curo tantùm:
Quis cras futura nouit?

Fuerit hoc Euangelicum oraculum vsui, cùm significabitur non esse anxiè in rerum futurarum curam incumbendum,

bendum, quãdo vnusquisque nescius est, vtrùm crastinum visurus sit diem, nec ne, vt & de Latinis Martialis libro I. Epigr. 16.

Non est, crede mihi, sapientis dicere, Viuam.
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Horatius in IV. Carm. Oda VII. v. 17.

Quis scit, an adiiciant hodiernæ crastina summæ
Tempora dî superi?

Similia sunt: *Inter os & offam*. &:

Multa cadunt inter calicem supremaq; labra.

ex Græco versu apud Agelliũ l. XIII. Noct. Attic. cap. 16. cum repentinæ mortis historia. Hoc dicendi genere quoq; significatur, vel differri aliquid in diem sequentem, vt Act. IV. v. 3. *Posuerunt eos in custodiam, in crastinum.* vel rei continuatio vsque ad certum tempus, Homerus Odyss. ξ. vers. 292.

— Μεῖνα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτόν.

Apud ipsum mansi integrum annum.

CAP. VII. V. 2. & MARC. IV. V. 24. & LVC. III. V. 38.

Qua mensura mensi fueritis.
Ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε.

AEQVALITATIS ac iustitiæ studiũ commendat: estque tralatio ab ijs qui arida vel liquida mutuò sumũt. Clemens Alexandrinus lib. II. Stromatũ: *Vt facitis, ita fiet vobis; vt datis, ita dabitur vobis; vt iudicatis, ita iudicabimini; vt benigni estis, ita vobiscum agetur benignè; qua mensura mensi fueritis, reddetur vobis.* Similia sunt adagia apud Chiliasten: *Eodem cubito, Eadem trutina, Pari libra, Par pari*, & similia. Quò pertinet & illud Sapientiæ XI. v. 17.

Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.

Apud Hesiodum l. I. Operum v. 347.

Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴκε δύνηαι.

A vicino aliquid capias si mutuò, eādē
Mensura, ac non, si possis, sine fenore redde.

Quem Ascræi Poëtæ locum bis M. Tullius egregiè exaggerat. Et Terentius in Eunucho Act. III. Sc. I.

Par pro pari referto.

Cui affine est Siculum illud prouerbium: Μοῖτον ἀντὶ μοίτου. vbi μοῖτον *mutuum* illis est, apud Varronem & Lucianum: quorum hic in Imaginibus, Μῦθον ἀντὶ μύθου ἀμείψαι, αὐτῷ τῷ μέτρῳ, φασιν, ἢ καὶ λώϊον. *Sermonem pensabis ipsa mensura, quod aiunt, aut etiam cumulatiùs.* legendum enim docti obseruant, Μοῖτον ἀντὶ μοίτου ἀμείψαι, id est, *par pari referre*, ex Hesychio. Altera verò pars ex Hesiodo hemistichion est, ad quod Cicero bis, vt dixi, allusit lib. I. Offic. & in Bruto, qui est de claris Orator. *Illud Hesiodiũ laudatur à doctis, quod eādē mensura reddere iubet qua acceperis, aut etiã cumulatiore, si possis.* M. Varro l. IV. de Ling. Lat. vt quidem Frid. Lindenbrochius contra Scalig. emendat: *Si datur, quod reddatur mutuum, quod Siculi* μοῖτον, *Sophronius* μοῖτον ἀντὶ μοίτου.

Nostris prouerbialiter passim dicitur, cùm volunt significare, abstinendum esse ab offensione alterius, quando sic CHRISTVS docuit modũ rectè iudicandi, denuntiando iudicem iniquum pœnam talionis subiturum. Sic Isaias de Ierosolymis loquẽs c. XXVII. dixit:

dixit: *In mensura contra mensurã, cùm abiecta fuerit, iudicabis eam.* Et apud Abdiam v.15. *Sicut fecisti, fiet tibi.* & Apoc.XVIII.v.7. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit; tantum date illi tormentum & luctum.* Hac prouerbiali allegoria vtiliter commonemur seruare Ius naturæ, quod est, *Ne alteri feceris quod tibi non vis fieri.* Vnde illud: *Ab altero exspectes, alteri quod feceris.*

IBID. V.5. & LVC. VI. V.42.

Eijce primùm trabem de oculo tuo.

Ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου.

THEOPHYLACTVS in Matthæũ, trabis nomine μέγα ἁμάρτημα, ingens vel enorme peccatum intelligit, quod in omnium incurrit oculos. CHRISTVS hîc trabi opponit festucã, id est paruum & leue delictum. Græcè τὸ κάρφος, quod Suidæ est *aridum & leue fœnum.* Hesychio *tenuis* est *apex ligni.* Dioscoridi libro v. *palea* est quæ supernatat aquæ, vt colligas è dicto Sophoclis ad puerum, apud Athenæum lib.XIII. Δειπνοσοφ. c.64. Tertull.lib.IV.adu.Marcionem c.17.&in Apologetico pro Christianis, *stipulam* reddere maluit. S. Basilius vsus hoc Adagio apud Anton. Melissam Sermon.LXXVI. *Multi festucam quæ est in fratris oculo considerant, trabem sui oculi non vident.* & B. Hieronymus lib.1.adu.Rufinum: *Caue quæso, ne per trabem tuam festucam meam videas.* De Gentilibus verò Seneca lib.de Vita beata ad Gallionem fratrem, c.27. *Papulas obseruatis alienas, obsiti plurimis vlceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum næuos aut verrucas derideat, quem vera scabies depascitur.* Vsus Prouerbij, cùm quis tenuia reprehendit vitia, grauioribus ipse scatens. Affinia sunt illa veterum: *Manticam quæ à tergo est non videre.* &: *Medicus aliorum, vlceribus ipse scatens.* & similia. Lucæ IV. v.23. CHRISTVS similitudinem seu parabolam nominat, quam iácere in se possent, *Medice cura teipsum.* qua vtitur Nazianzenus Apologet.de Fuga. Plutarchus libello de Curiositate, è veteri Comico citat: *Alterius vitium acutè cernis, & tua non vides.* quod Horatius lib.1.Sat.III. sic reddidit:

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutùm,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Rectè itaque Nazianzenus in Tetrastichis:

Ἔρευνα σαυτὸν πλεῖον, ἢ τὰ τῶν πέλας.
Inquire res tuas, priùs quã proximi.

Sedulius Poëta Scotus l.III. Paschalis Operis v.582. de Pharisæis adulteram (Ioan.VIII.v.3.) accusantibus:

Non poterat quisquam festucam euellere paruam
Ex oculo alterius, proprio qui lumine grandem
Sciret inesse trabem. —

Adi S. Pelusiotam lib.1.Epist.82.

IBIDEM V.6.

Nolite dare sanctum canibus.

Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί.

Nec mittatis margaritas ante porcos.

Μὴ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων.

MONET vtrumque Adagiũ, mysteria regni cęlestis & Sacramenta

non temerè tractanda, sed delectu habito, blasphemis ac persecutoribus non communicanda. *Sancti* nomine CHRISTVS intelligit verbum Euangelij & Sacramenta, partim ob auctorem Filium Dei, partim ab effectu, quòd credentes sanctificent, vt è S. Scriptura docemur. *Canes* verò hoc loco persecutores Catholicæ Ecclesiæ. *Porci* autem Theophylacto sunt qui impuram agunt vitam, & belluarum more ac suũ ritu in cœno voluptatis volutantur; vt & S. Petro Ep. II. cap. II. v. 21. *Sus lota in volutabro luti.* S. Athanasius coniungens vtrumque Dialogo I. de Trinitate, *Asserere*, inquit, *quòd Christianus sim, necessarium est: sed definitionem Christianismi proferre, non satis tutum est, nisi priùs constet quisnam sit qui interrogat, ne sancta canibus, vel porcis margaritas proijcere videar.* Coniungit & Tertullianus lib. de Præscriptionibus hæret. c. 26. & idem de Baptismo c. 18. *Illud*, inquit, *potiùs perspiciendum, Nolite sanctum dare canibus, & porcis proijcere margaritas vestras.* &: *Manus ne facilè imposueris, ne participes aliena delicta:* 1. Timoth. III. v. 22. Lege, si vacat, quæ Isidorus Pelusiota disserit Epist. 143. lib. I. & lib. IV. Epist. 181. Clemens Alexandrinus lib. I. Stromatum: *Vereor, vt ait Filius Dei, porcis obijcere margaritas, ne eas pedibus conculcent, & conuersi nos discerpant.* & libro II. Stromatum: *Sancta canibus impartiri vetamur, quamdiu bestiæ manserint. Neque enim conuenit, vt ijs, qui quantum ad mores sunt inuidi, perturbati, etiamnum infideles, & impudentes ad latratũ aduersus quæstionem propositam, diuinum fluentum & purum aqua viua infundatur.* Eusebius libro XII. Præparat. Euang. cap. 7. sic descripsit: *Quòd veræ doctrinæ mysteria nequaquã in omnes proferre deceat: & vitarunt hoc Ethnici, ne sua temerè arcana proferrent non initiatis, vt de Eleusinijs sacris legimus.* Bias apud Laërtium lib. I. interrogatus ab impio quid pietas esset, continuò siluit. causam rogatus, *Quia*, inquit, *de rebus nihil ad te pertinentibus quæris.* Et in Pythagoræ Symbolis Plutarchus de Liberis educandis numerat, *Cibum in matulam ne conijcito:* significans, animæ impurę non esse elegantẽ sermonem immittendum. Rectè itaque & venustè Nazianz. initio Tetrastich.

Ἤρετό μέ τις πρόβλημα τῶν ἐκ πνεύματος.
Ἢν ἐκρυπτωθῇς, εἶπον. Ἀλλὰ σωφρονῶ.
Ἢν ἐκρυπτωθῇς, νοῦ δὲ δεῖ καθαρσίων.
Μῦρον δοχεῖον σαπρὸν οὐ πιστεύεται.

Billius vertebat:

Quidã explicari quid sibi quæsiuerat
Sublimioris. Purus, inquam, sis priùs.
At mente consto. Sordibus verũ scates.
Vnguentũ olenti vasculo nõ creditur.

Et Horatius l. I. Ep. II. ad Lolliũ v. 54.

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit.

& CHRISTVS Matthæi IX. v. 17. in Euangelio vetat ne vinum nouum in veteres vtres mittatur. Adhibet hunc CHRISTI locũ de margaritis B. Hieronymus Comment. in Ieremiam ad caput IV. v. 3. *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.*

In sacris quoque gentium nota est illa præconis vox, quæ τοὺς ἀμυήτους & βεβήλους secedere iubebat, vt auctor est Sozomenus lib. VI. Eccles. Hist. c. 24. & Nicephorus lib. XI. cap. 12. quæ formula desumpta fortasse ex versu Orphei:

Φθέγ-

φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοις.

Sacra quibus fas est tradam: procul este profani.

vel Pythagoræ aut Callimachi Hym. in Apoll. v.2.

— Ἑκὰς ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός.

quod Maro VI. Æneid. v.258. interpretatur,

— Procul ô procul este profani.

& Claudianus lib.II. de Raptu Proserpinæ initio:

— Gressus remouete profani.

Ritus illius antiquorum sacrorum, ac vocis *profanos* à sacris arcentis, meminere Iustinus Martyr Serm. hortatorio ad Gentes, Theodoret. Serm. I. & Eusebius l.III. c.7. & l.XIII.c.12.

IBID. V.7. & LVCÆ VI. V.38.

Date, & dabitur vobis.

Δίδοτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν.

EVANGELICA hæc sententia, & id genus complures docent, quatenus orando sit aliquid à Deo petendum. Ceterùm extra arcanũ sensum Adagij faciem habet, videturq; significare mutua charitatis officia; ac perinde pollet, ac si dicas: *Benefac promerenti, amantem ama.* quasi alterum ab altero mutuæ vicissitudinis officium pendeat.

IBIDEM V. 14.

Quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam.

Ὅτι στενὴ ἡ πύλη, καὶ τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωήν.

VSVRPARI licet, cùm ardua ingentiaque labore summo parari & acquiri significare volumus. Quæri potest, an idem per *angustam portam* & per *arctã viam* intelligatur. It Chrysostomus existimat. Sed verosimilius P. Ioanni Maldonato videtur esse, vt per *viam* præcepta, per *portam* præceptorũ Dei finem intelligamus; est enim porta finis viæ. Vnde carmen illud de littera Pythagoræ, quo per formam Y vtraque via bona & mala ostenditur:

Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primùm spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.

IBIDEM V. 15.

Vestimenta ouium.

Ἐνδύματα προβάτων.

PROPHETAS in melotis, id est ouium pellibus, ambulasse, vt hodie pastores ouium solent, testis est Paulus ad Hebræos cap.XI.v.37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* & Zacharias Propheta cap.XIII.v.4. *Nec operientur pallio saccino, vt mentiantur.* significans, villosam vestem induere quosdam fallendi gratiâ. Seruator noster hanc similitudinem retinuit de fictè ambulantibus hypocritis, ouilla specie lupum tegentibus: quod de hæreticis hodie Caluinianis verè dixerimus, quibus mentiri nulla religio, sed seditionibus vrbes Resque publicas euertũt, Magistratũ pellunt, legesque pessumdant, hac vtentes formula, quæ olim Priscillianorum fuit:

Iura, periura, secretum prodere noli.

Clemens Alexandrinus Protreptico ad Gentes, id genus impostorum

nominat λύκους προβάτων κωδίοις ἐμφιεσμένους, *lupos ouium pellibus indutos*. B. Ignatius Martyr eódem respexit Epist. VI. ad Philadelphios: *Multi*, inquit, *lupi vellere assumpto oues se simulant, & prauis suis illecebris alios à cursu Dei auertunt*. Id copiosiùs repetit Epist. X. Pastor etiam depingitur villosa pelle ouium caput pectus & pedes contegens, ab Athenæo lib. VII. Dipnosoph. cap. 17. & in Apologis Phryx fabulator lupum fingit ouina tectum pelle, & captum à rusticis laqueo in crucem actum, addito elogio: PELLIS QVIDEM OVINA, SED QVÆ LVPVM TEGERET. Aristoteles quoque Philosophus adolescentem cernens sumptuosa se veste pellibus suffulta iactantem, vt refert Ant. Melissa cap 74. *Quousque*, ait, *adolescens ouina pelle gloriaberis?* Vtitur autem hoc Adagio Tertullianus lib. de Præscript. hæretic. cap. 4. & Irenæus Lugdunensis Episc. lib. 1. de Hæresibus: *Necessarium*, inquit, *duxi hæc tibi indicare, ne culpa nostra velut oues raperentur à lupis, quos non agnoscunt*. Theophylactus in VII. Matthæi caput, *Blandiloquentiam*, ait, *prætexunt, & vitam simulant sanctã; sed intus latet ἄγκιστρον hamus. Porrò vestis ouina, est etiam mansuetudo, qua vtuntur dum adulantur & fallunt*. Epiphanius lib. 1. Hæreseωn, Tom. III. de Tatiano hæretico, & Chrysostomi nomine Auctor Operis imperfecti in Matthæum Homil. XIX. B. Augustinus lib. II. de Sermon. Domini in monte, & Hieronymus in hoc Matthæi caput VII. scribens, de his etiam vsurpari posse affirmant, qui aliud ore promittunt, opere aliud præstant: ac potissimùm, vt dixi, de hæreticis intelligendum.

IBID. V. 16. & MATTH. VII. V. 18. & LVC. VI. V. 44.

Numquid colligunt de spinis vuas?
Μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλάς;
Numquid de tribulis ficus?
Μήτι ἀπὸ τριβόλων σῦκα;
Non potest arbor mala fructus bonos facere.
Οὐ δύναται δένδρον σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖν.

A Vindemiatoribus & arborum collectoribus fructuũ ducta tralatio est. Locutiones sunt Prouerbiales è Physica, quòd è malis mala, non bona soleant existere, significantes. *Arbor* hîc cordi humano comparatur, vt sermoni *fructus*.

Tria hæc Adagia Tertullianus adhibet lib. de Anima c. 21. postremum verò lib. contra Hermogenem c. 13. & lib. 1. aduersus Marcionem cap. 2. & lib. II. cap. 4. item lib. IV. cap. 17. Basilius quoque adducit Homil. in Psalmum XIII. contra fœneratores, qui sua lucra nominarent officiosam benignitatem. *Non colligunt*, inquit, *fœneratores è spinis vuas, nec è tribulis ficus, neque item à fœnore benignitatem. Omnis enim arbor marcida* (sic reddimus δένδρον σαπρὸν) *malos reddit fructus*. Clemens Alexandrinus l. II. Pædagogi c. 5. & lib. III. Stromatum: *Qualis sermo, talis vita. Arbor autem cognoscitur è fructibus, non è floribus, folijs aut ramis*. Theognis Gnomologus v. 537.

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος.
Non etenim è scilla rosa nascitur, aut hyacinthus.

De

De Latinis Seneca Epist. LXXXVII. *Non nascitur ex malo bonum, non magis quàm ficus ex olea. ad semen nata respondent.* Anteà Dauid Rex Sauli ita dixit I. Reg. XXIV. v. 14. *Ab impijs egreditur impietas*, vt hoc Lucæ loco, arborem malã malos proferre fructus. *Et malus homo de thesauro cordis sui profert malum.* Igitur arbor quæque de fructu suo cognoscitur, siue bona siue mala, vt CHRISTVS hîc ait, & Matthæi XII. v. 33. *Ex fructu arbor agnoscitur.* & Sapiens Eccli. XXVII. v. 10. *Rusticatio de ligno ostendit fructũ illius.* hoc est, è fructibus arboris, educatio illius ostenditur. Menander:

Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

Greg. Nazianzenus de Natali Domini: Πονηρῶν σπερμάτων πονηρὰ γεώργια. *Malorum seminum malæ segetes*, vel fructus: & alibi Metaphoricè de vitiosis agens hominibus: Ταῦτα πάντα τῆς πονηρᾶς τοῦ νοῦ γεωργίας ἐστίν. Huc pertinet & illud Ecclesiastici XI. v. 10. *In filijs agnoscitur vir.*

IBIDEM V. 21.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnũ cælorum.

Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε, Κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

GEMINATIO frequentem loquendi apud Iudæos consuetudinem exprimit, simulatum falsorum Prophetarum in loquendo vel orando affectum declarat, qui veram non habent, sed simulant habere se fidem. Solet enim vehemens affectus, erumpentia verba geminare, vt infrà: *Domine, Domine aperi nobis.* & Ierem. c. VII. v. 4. *Templum Domini, templum Domini.* Hinc quoque apparet, fidem vacuam à benefactis, esse omnino vacuam, id est inanem, cùm admodum facile sit verbis fateri, quod CHRISTVS ipse testatur. Vtrumque Dei seruis necessarium est; vt & actus sermone, & sermo actibus comprobetur, vt Apostolus in Epistola ad Romanos c. II. v. 28. *Non enim qui in manifesto Iudæus sit, Iudæus est.* Et Seneca: *Non aspicias quàm plenas quisque manus Deo, sed quàm puras admoueat: non enim aliter nisi optimus animus Dei est cultus.* Hinc factum vulgò Prouerbium in hypocritas, qui *dicunt & non faciunt*, quod sit regno cælesti dignũ.

IBIDEM V. 26.

Super arenam ædificare.

Ἐπὶ τὴν ἄμμον οἰκοδομεῖν.

Contrà:

Super petram.

Ἐπὶ τὴν πέτραν.

IN arena qui ædificat, non iacit solidum fundamentũ; nec diuturna domus, sed ventis citò euertetur. Ad hypocritas CHRISTVS accommodat, qui non veram solidamque pietatem, sed eius vmbram speciemque sectantur. Contrarium huic esset prouerbiũ, *In petra ædificare*, quod est firma iacere fundamenta, vt qui rupi insistit, immobilis videatur. Sic CHRISTVS Matth. XVI. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* & Psaltes Regius: *Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus:* Psal. XVII. v. 3. & Psal. XXXIX. v. 3. *Statuit supra petram pedes meos.* & I. Corinth. X. v. 4. *Bibebant de spiritali, consequente eos, petra: petra*

autem erat CHRISTVS. Salomon Prouerb. x. v. 25. *Iustus quasi fundamẽtum sempiternum.* Antiqui Patres firmitudinem hanc inde ducunt, quia iustus in omni euentu cõstãs manet in Domino, fundatus in CHRISTO. Aristoteles lib. III. Rhetoric. & lib. I. Ethic. ad Nicomachum, lapidi quadrato virum virtute præditum comparauit; quia instar cubi rectus stat. In Tabula Cebetis Thebani, Virtus insidet saxo quadrato, Fortuna verò globo mobili insistit. Hinc prouerbium, *Homo* τετράγωνος. Respexit huc Flaccus l. III. Carminum, Oda III.

Iustum & tenacem propositi virum, &c.
Impauidum ferient ruinæ.

Petræ autem respondet magis rupes, de qua bis Maro lib. VII. v. 587. & l. x. v. 693. ex Homeri Iliade ο. vers. 618. & ψ. v. 641. Ob elegantiam versus appendere non pigebit.

Ille velut pelagi rupes immota resistit:
Vt pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus vndis
Mole tenet, scopuli nec quidquam & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Et libro x.

Ille velut rupes, vastum quæ prodit in æquor,
Obuia ventorum furiis, expostáque Ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cælique marísque,
Ipsa immota manens. —

De arena verò expressit Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 6. *Hi sunt qui obrepunt, qui pœnitentiæ fidem aggreßi, super arenas domum ruituram collocant.* Quadrat in eos, qui rei imbecillæ nimium tribuunt auctoritatis: de quibus Irenæus ait lib. II. cap. 46. *Numquid hoc est non in petra firma & valida, & in aperto posita, ædificare suam domum, sed in incertum effusæ arenæ? Vnde & facilis est euersio huiusmodi ædificationis.*

CAP. VIII. V. 10.

Non inueni tantam fidem in Israel.
Οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον.

DICI solitum de eo, qui præter spem à quopiam reperitur fidelis. Quidquid præter debitum & opinionem accedit, pro magno habemus.

IBIDEM V. 20.

Vulpes foueas habent.
Αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσιν.

VERTITVR hodie passim in vulgare prouerbium in fallaces homines, qui ritu vulpis sexcentos norunt fabricare dolos. Animal enim hoc suapte natura fallax, multiiugis dolis se tuetur aduersus venatores; dumque prædatur, illis nititur. CHRISTVS verò aliud innuit. Per hunc modum repudiauit Scribam, ne sequeretur se ob lucrum faciendum, qui ostendit se tantæ esse paupertatis, vt non suo vteretur tecto. Cui & Adagij vice locus appositè erit, cùm voluerimus speciatim significare summam cuiuspiam pauperiem; vtpote cui ne hospitiolum quidem sit. S. Isidorus Pelusiota lib. I. Epist. 17. de ijs qui à malo detrahi non possunt, adfert.

IBIDEM & LVC.IX.V.58.

Non habet vbi caput reclinet.

Οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ.

VSVRPATVR de Filio Dei carne induto, cuius summa fuit inopia, primò in præsepio Lucæ II.v.7. & in vniuerso vitæ curriculo, Luc.IX.v.53. Ioan.I.v.11. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* nobisque proposita est II. Corinth.VIII. v.9. *Propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopiâ diuites essemus.* Agapetus Diaconus in Exhortatione ad Iustinianum Imp. c.16. simili est formula vsus: Οὐκ ἔχουσι, ποῦ στήσωσι τὰ πέλματα. quod Cicero extulisset l.XIII.ad Attic.Epist.2. *Pedem vbi ponant in suo non habent.* Vide Chiliasten Adagio simili: *Non habet cui indormiat.* Sic Theocritus Eidyllio v. v.10.

Οὐδὲ γὰρ Εὐμάρα τῷ δεσπότη ἦς τι ἐνεῦδεν.

Namque nec Eumaras tantum possedit, vt esset
In quo vel placidam posset cepisse quietem.

IBID.V.22.& LVC.IX.V.90.

Sine mortuos sepelire mortuos suos.

Ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς.

VERBA sunt CHRISTI ad quemdam ex discipulis, & quidem, si Clementi Alexandrino lib.III. Stromat. credimus, ad Philippum Apostolum, quem sic à cura paterni funeris retrahere voluerit, vt relictis rebus sæculi, munere fungererur Apostolatus sui. Sic enim lib.III.Stromatum, *Concedant*, inquit, *in sententiam Domini dicentis Philippo: Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem sequere me.* Sic ferè Tertullianus de Idololatria c.12. *Etiam sepelire patrem, tardum fuit fidei.* Iuuencus lib.II.v.24.

Tu sine defunctos defunctos condere terra.

Elegans autem est ἀνταναάκλασις vocis iteratæ & diuersæ significationis, vt primò *mortuus* significet hominem sæculo quidem viuentem, ad cælum mortuum; alterum verò reuerà vita defunctũ & cadauer, vt qui in eadem nauigant naui, ijsdemque sint obnoxij vitijs. Affine vetus illud Adagium est: *Graculus graculo aßidet, & pares cum paribus congregantur.*

CAP.IX.V.12.& MARC.II. V.17.& LVC.V.V.31.

Non est opus medico valentibus, sed malè habentibus.

Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες.

CHRISTVS hîc vitio vertendum à Iudæis negat, quòd Publicanis ac peccatoribus vteretur: quòd peccata non probaret, sed vt ad pœnitentiam bonamque frugem tales reuocaret; exemplo Medici, qui ægrotantes frequentant, nec propterea ægrotant. Medicum ergo se fatetur, vt sæpiùs in S.Scriptura, *Vniuersum*, inquit, *stratum eius versasti* Deus *in infirmitate eius.* Exodi XV. v.26. *Ego sum Dominus Deus sanator tuus.* & Isaiæ LXI.v.1.loquitur Deus, *Vt mederer contritis corde.* Peccatores autem ægroti sunt, sani verò sunt iusti; vel, qui se iustos opinantur, hypocritæ. Igitur allegoricè Saluator, hanc gnomen ad animi morbos spiritalemque medicinam accom-

commodat. Græcè est in Euangelistis, pro ægrotis κακῶς ἔχοντες, & pro valentibus ἰσχύοντες, quasi robustos dicas. Hinc lepidus exstat iocus Philemonis Comici Poëtæ, ex ambiguo phrasis κακῶς ἔχειν, apud Ioan. Stobæum Serm. 102.

A. Τίς ἐστιν οὗτος; B. Ἰατρός. A. Ὡς κακῶς ἔχει
Ἅπας ἰατρὸς, ἂν κακῶς μηδεὶς ἔχῃ.
A. *Quis ille quæso est?* B. *Medicus.*
A. *Heu quàm habet malè*
Omnis medicus, cũ nemo sese habet malè.

Vtitur Adagio Clemens Alexandrinus initio Pædagogi:

Τοῖς νοσοῦσι τὸ σῶμα ἰατροῦ χρήζει.
Quorum corpus ægrotat, ijs medico opus est.

& Menander Comicus:

Τῷ μὲν τὸ σῶμα διακειμένῳ κακῶς
Χρεῖ' ἐστὶν ἰατροῦ. —

Basilius Mag. lib. 2. Ascetic. Quæst. 5. *Indigent*, inquit, *infirmi Medici auxilio.* Idem apud Maximum Martyrem Serm. LX. *Infirmi medicina opus habent.* Iuuencus libro II. v. 36.

Non medicis opus est, si sint tibi fortia membra.

Nos sic:

Rectè qui valeat, medicæ non indigus artis.

Antiquorum quoque eódem pertinent scitè dicta. Siracides c. XXXVIII. v. 1. *Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creauit Altissimus*, & quæ deinceps sequuntur. Philosophorum aliquot & illustriũ virorum dicta colligam. Pausaniæ Tegeæ exsulanti, & Spartam laudanti, teste in Apophth. Laconicis Plutarcho, dixit quidam, *Cur igitur non mansisti apud Lacedæmonios?* respondit: *Quia nec medici apud benè valentes, sed cum ægrotis agere consueuerunt.* Quod dictum Maximus Martyr Diogeni attribuit, & Aristotelis hoc adfert: *Optimus ille est medicus, qui à ceteris omnibus desperatos recipit.* Antisthenes quoq; quòd malis vteretur obiurgatus, vt Laërtius refert, *Et medici*, inquit, *inter ægrotos versantur, neque tamen febricitant.* Aliter paulò id dictũ Aristippus protulit, obijcienti quòd Philosophi, diuitiarum contemptum simulantes, diuitum tamen ædes frequentarent; *Medici quoque*, ait, *languentium ianuas frequentant, nemo tamen eorum mallet ægrotare, quàm mederi.*

IBIDEM V. 15.

Numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus?

Μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν ἐφ' ὅσον μετ' αὐτῶν ἐστὶν ὁ νυμφίος;

LVCAS cap. V. v. 34. *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare?* Adhiberi Adagium potest, cùm in aduentu Superioris aut amici lætitia existere solet, cùm tristitia aut ieiunium exsulant. Sic veteres illud in aduentu amici dicere soliti, in Græcorum prouerbijs:

— *Veniat qui proderit hospes.*

& apud Maronem IV. Æneid. Anna ait de Ænea domi Didonis:

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?

& Zacchæus cùm gaudens tecto Christum accepisset, Lucæ XIX. v. 6. audiuit vicissim à Seruatore: *Quia hodie salus huic domui facta est, eò quòd filius esset Abrahæ.* & Centurio Matthæi VIII. v. 8. indignum se suamque domum CHRISTI aduentu prędicat. Gregorius autem verè Theologus cogno-

cognomento Orat. XXXVI. de Filio Dei, quę quarta est numero de Theologia, sic exponit. *Siue sponsum*, inquit, *intelligas, qui corporeis oculis cernitur (neque enim ærumnæ atque afflictionis tempus erat illud tempus, quo* CHRISTVS *nobiscum versabatur) siue eum vt Verbum spectes. Quid enim eos corporeo modo ieiunare necesse est, qui sermone purgantur?* Vbi Elias Cretensis interpres, extrema hæc verba, *qui sermone purgantur*, ideò à Nazianzeno adhibita videri ait, quia dixerat CHRISTVS: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*

IBIDEM V. 16.

Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus.

Οὐδεὶς ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ.

vel vt MARCVS XI. V. 21.

Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri.

Οὐδεὶς ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπιῤῥάπτει ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ.

vel vt LVCAS V. V. 36.

Nemo commissurã à nouo vestimento immittit in vestimentum vetus.

Οὐδεὶς ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιόν.

PHARISÆI & discipuli Ioannis obijciunt, quòd ieiunarent & orarent, non item Apostoli. Respondit CHRISTVS, sponso præsente ieiunari non solere, vt nemo commissuram panni à nouo vestimento mittit in vestimentum vetus. Lucas habet ἱματίου καινοῦ. Huius in vocis καινοῦ ambiguitate lusit lepidè olim Stilpo Philosophus apud Laërtium lib. II. Philosoph. ad Cratetem hieme algentem, fallaciâ quadam accentus, dicens: Ὦ Κράτης, δοκεῖς μοι χρεῖαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ. ὅπερ ἦν, νοῦ καὶ ἱματίου. *O Crates, videris mihi indigere noua veste. q. d. mẽte & veste.* Sic de alio dictum est ἀπὸ νοῦ cecidisse, id est mente decidisse, cùm alius ἀπ᾽ ὄνου. Sed Græcè hæc venustiùs sonant, quam venerem Latini non assequuntur. Affine est illud antiquum prouerbiũ, *Pannus lacer*, apud Chiliasten, & *Pannus in purpura.*

IBIDEM V. 17.

Non mittunt vinum nouum in vtres veteres.

Οὐ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς.

CHRISTVS prouerbiale hoc simile desumpsit à consuetudine qua vinum vtribus claudi solet, vt hodieque apud Hispanos. Mustum autem in feruore vtribus inueteratis committere non licebat, quòd periculum esset, ne ijs violenter ruptis, mustum profunderetur. vt Iob XXXII. v. 19. *Venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod laguncula nouas disrumpit.* Vide Plinium libro XIV. Natural. Histor. cap. 20. Exstat & Problema Physicum apud Plutarchum XXVII. Cur mustum magnam partem temporis dulce est, si à frigore vas vrgeatur. Paulò aliter apud Epiphanium interpretatur lib. I. Cùm enim Marcion Romæ Presbyteris sanctæ Dei Ecclesiæ ac Doctoribus hoc Adagum ænigmatis loco proposuisset, mansuetè responderunt: *Fili, hoc sunt vtres veteres, Pharisæorum & Scribarum corda inueterata in peccatis, quæ*

prædicationem Euangelij non susceperunt. Hoc est, corda carnalia cælestem doctrinã capere non possunt, sed eius auditu fiunt deteriora: S. Isidor. Pelusiota lib. I. Epist. 57. Theophylactus CHRISTI discipulos vtribus inueteratis comparat, infirmioresque dicit, quàm vt doctrinam de ieiunijs & traditionibus capere possent. Sed auctori suo hoc relinquimus. CHRISTVS itaque duplici hîc rerum exemplo docet, quàm dispar sit Euangelicum dogma commisceri Iudaico, quàm ve necesse sit, vt quis priùs per fidem renascatur, quàm nouæ doctrinæ pręcepta queat imbibere. Sic Tertull. lib. III. & IV. contra Marcion. *Non est obscurum vino doctrinam & exempla indicari, siue in bonum, siue in malum.* Prouerb. IV. v. 17. *Vinum iniquitatis bibent.* Cant. VII. v. 9. *Guttur tuum sicut vinum optimum.* Cap. VIII. v. 2. *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Isa. I. v. 22. *Vinum tuum mistum est aqua.* Zachar. IX. v. vlt. *Vinum germinans virgines.* Apocal. XVII. v. 2. *Vinum prostitutionis.* Erit igitur locus huic prouerbiali figuræ per appositus, cùm voluerimus significare, alijs alias res, aliúdve studium pro ætate vel dignitate minùs conuenire.

IBIDEM V. 37. & LVC. X. V. 2. & IOAN. IV. V. 35.

Messis multa, operarij verò pauci.

Ὁ θερισμὸς πολὺς, οἱ δὲ ἐργάται, ὀλίγοι.

SVMPTA allegoria ex eo, quòd cùm sit seges matura, & iam resecanda falce, multis messoribus opus est. Sic Psalmo CXXV. v. 5. *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent, portantes manipulos suos.* Indicat CHRISTVS per *messem*, populorum credentium multitudinem; & per *operarios*, magistrorum inopiam.

CAP. X. V. 8.

Gratis accepistis, gratis date.

Δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε.

QVIDAM hîc *gratuitò* reddunt, pro *gratis:* alij, *Dono accepistis, dono date*, vt in Eunucho Terentius: *Hanc tibi dono do.* CHRISTVS ergo cupiditatem è ciuitate Dei exterminandam cupiens, simul atque dederat suis discipulis potestatem sanandi ægrotos leprososque, ac dæmones eijciendi, ne merces interueniret, quæ dona inprimis spiritualia reddit viliora, adiunxit auaritiæ damnationem.

IBIDEM V. 10.

Dignus est operarius cibo suo.

Ἄξιος ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν.

LVCAS X. v. 7. *mercede sua* legitur. Aptatur Prouerbium Apostolis, concionatoribus & Sacerdotibus, qui ex altari viuunt. Sic Paulus I. Tim. v. v. 18. & II. Tim. II. v. 15. & apud Suidam legitur, Ἀξία ἡ κύων τοῦ βρώματος, *Canis cibo dignus.* Vsurpat autem Clemens Alexandr. lib. II. Stromat. Δεῖ τὸν ἐργάτην τροφῆς ἀξιοῦσθαι. Aptè verò applicabitur, cùm quis mereri dicetur præmium; ex exemplo Hebræorum, vasa aurea atque argentea ex Ægypto spoliantium, quibus labores suos impenderant, Exod. XI. & XII. Explicat S. Isidorus Pelusiota lib. I. Epist. 196. & lib. IV. Epist. 87. Sic etiam SS. Patres excusant, imò iustũ pronuntiant illud Hebræorum ab Ægyptijs ablatum

tum spolium, vt Tertullianus lib.II. aduers. Marcionem c. 20. qui locus sine aliqua Iuris ciuilis cognitione intelligi non potest, vt & alia eius Auctoris. *In lucem*, inquit, *extrahimus ingenia tenebrarum, obiicientia Creatori vel maximè fraudem illam, & rapinam auri & argenti, mandatam ab illo Hebræis in Aegyptios. Age, infelicissime hæretice; teipsum expostulo arbitrũ: cognosce in vtramque gentem priùs, & ita de auctore præcepti iudicabis. Reposcunt Aegyptij de Hebræis vasa aurea & argentea: contrà Hebræi mutuas petitiones instituunt, allegantes, sibi quoque eorumdem patrum nomine, ex eodem scripturæ instrumento, mercedes restitui oportere illius operariæ seruitutis, pro laterinis deductis, pro ciuitatibus & villis ædificatis. Quid iudicabis optimi Dei elector? Hebræos fraudem agnoscere debere, an Aegyptios compensationem?* & quæ ibi plura sequuntur. Vide & Theodoret. Quæst. in Exodum, n.23. & Augustinum Quęst.39. Quibus addo ista Alcimi Auiti consona carmina, lib.v. de Transitu maris Rubri:

— tolluntur auari
Sic Pharaonis opes, quem tunc mercede soluta
Seruitij longũ credas taxasse laborem.

IBIDEM V. 14.

Excutite puluerem de pedibus.

Ἐκτινάξατε τὸ κονιορτὸν τῶν ποδῶν.

IMPATIENTIÆ & indignationis species esse videtur. Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus & Augustinus Quæst.VII. in Matth. propterea CHRISTVM iussisse dicunt, vt ostenderent se nihil cum eis habere velle, quando & puluerem ipsorum illis relinquant, ne aliquid ex ea terra secum velle ferre testificarentur, quæ Euangelium spreuisset. Proinde quoties volumus prouerbiali figura innuere quempiã perficere incœptum iter, ne vel tantillum quidẽ mercedis ob susceptum laborem accipere commodum, dicimus illum excutere puluerem pedum, vt hodieque vulgò sermone populari dicimus, *Ne puluerem quidem pro re aliqua dare nolle*; vt Romani, *Ne flocci quidem facere*, aut *pendere.*

IBIDEM V. 16.

Sicut oues in medio luporum.

Ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων.

HVC referri potest exemplum CHRISTI Ierem. cap.II. v.19. *Sicut ouis ad occisionẽ ducitur.* Quamuis Propheta iuxta litteram de seipso loqui videatur, tamen ipsum hac in parte typum Messiæ gessisse, Iustinus Martyr luculenter ostendit, & Stephani Protomartyris, de quo Cyprianus asserit: *Stephanus iuuenis inter homicidas, agnus inter lupos, stabat placido Angelicoq; vultu, & ad Domini exemplum orat pro lapidantibus, nec alibi habet oculos, quàm in cælum.* Quamuis autem verisimile sit, hoc prouerbium duxisse à Patriarchis, quippe qui rei pecuarię operã dederint, Gen.XLVII. v.3. tamen progressu temporis Ethnici quoque ad huius imitationẽ multa consimilia effinxerunt, quibus vel implacabile odium, vel summum periculum designarunt. Prioris generis est Græcum illud, quod Atticus Platonicus apud Eusebium lib. XV. Præp. Euãg. c.4. ex Homero Ἰλιάδ χ. v.262.

transcripsit, & ad suum institutum accommodauit.

Ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.

Vt non sunt leonibus & viris fœdera fida,
Neque lupi & agni concordem animum habent,
Sed mala cogitant perpetuò sibi inuicem.

Item: Ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ. *Vt lupus amat agnum.* vel vt Socrates in Phædro Platonis extulit:

Ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ᾽, ὡς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί.

quod veteris, nescio cuius, Poëtæ esse apparet. & Horatius Epod. Oda IV.

Lupis & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

& Oda. XII.

— Vt pauet acreis
Agna lupos. —

Ouidius lib. I. de Arte:

Vt fugit visos agna nouella lupos.

Theocr. Eidyl. II. v. 24. & in Cyclope:

Φεύγεις ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα.

Fugis autem, vt ouis quæ lupum canum vidit.

quod in Adagium retulit Paulus Manutius, *ouem lupo commisisti.* & Suidas, Πρὶν καὶ λύκος ὄϊν ποιμανεῖ. *Priùs ouem pascet lupus.* Ad alterum genus pertinet historia Oeolyci, de quo pater pronuntiabat, seipsum relicturum tamquam ouem inter lupos, vt refert Herodotus lib. IV. de Thera, Polynicis abnepote, coloniam deducturo.

IBIDEM.

Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

Γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί.

COMMENDATVR hîc *prudens simplicitas*, vt nominatur etiam in ijs quæ vitam efficiunt beatiorem, à Valerio Martiali lib. X. Epigr. XLVII. Iuuencus lib. II. v. 468.

Sed vos arguto serpentum corde vigete,
Simplicitate tamen puras superate columbas.

Naturam serpentis callidissimi, & columbinam simplicitatẽ, omnes & Philosophi, & sacri Scriptores Græci Latinique hîc colligunt. Nos pauca de multis adferemus. Primò, quòd cùm senuerint, pellem per angustum foramen repentes exuant (quæ à Gręcis in Prouerbio, *Leberide nudior* vocatur) & quasi reuiuiscant, vt refert Aristoteles lib. VIII. Hist. animal. c. 17. T. Lucretius lib. IV.

— Cùm lubrica serpens
Exuit in spinis vestem. —

& Virgilius Georg. lib. III. v. 37. de angue:

Cùm positis nouus exuuijs, nitidúsque iuuenta
Voluitur, aut catulos tectis, aut oua relinquens
Arduus ad Solem, & linguis micat ore trisulcis.

Nicander Theriac. v. 343. fabulosè, moraliter verò Basilius M. in Proœmio Isaiæ, & Nazianzenus in Carm. De externi hominis vilitate, v. 155. Sic Patres inferunt, vt singuli, non modò annuâ, verùm etiam quotidianâ pœnitentiâ,

nitentiâ, veterem hominem exuant: Ephes.IV.vers.23. Coloss.III. vers.9. Hebr.XII. v.I.

Secundò, quòd bibendi gratiâ ad fontem progressuri, virus deponant atque euomant, vt Epiphanius commemorat Panarij lib.I. hæresi 37. & Physiolog. cap. 16. item de Latinis B. Augustinus lib. de Salutaribus documentis, cap.28.

Tertiò, quòd in præsentissimo vitæ periculo totum corpus ictibus lubentes obijciant, vt caput occultent atque integrũ seruent. Sic idem Epiphanius ibid. & in Physiologo cap.15. item Basilius Mag. in Psal.XLVIII. Cæsarius Nazianzeni frater Dialogo IV. Chrysostom.Hom.XXXIV.in Matth. Theophylactus hîc, & de Latinis S.Augustinus lib.II.de Doctr.Christ. cap.16. Hieronymus lib. I.in Matth. cap. 10. Hilarius Can.X. hoc loco, Isidorus Hispal. lib. XII. Originum, cap.4.ex C.Plinio lib.VIII.Nat.Hist. c.15.& alter Isidorus Pelusiota lib.II. Epist.175.& lib.IV.Epist.137.

Quartò, quòd aspides, cùm incantatorem adesse sentiunt, tenebrarum & veneni sui amore, aurem alteram terræ allidunt, alteram acumine caudæ obturant, ne incantatoris voce audita, venenum deponere, & cauernâ egredi cogantur: sic homines obstinati, aures tam corporis quàm animi ad sacras conciones & monita salutaria petulanter obturant, Psal.LVIII.v.4. Ezech.XII. v.2. Ierem. XVII. v.23. Act.VII.v.57. Clemens Alexandrin. in Serm.exhortatorio ad Gentes, August.in Psalmo LVII. Tom.VIII. Arnobius Afer in hunc ipsum Psalmũ, Isidorus l.XII.cap.2. Alcimus Auitus l.II.v.308.de Marsis. Vnde Siracides c.XXV.v.22. *Non est caput vllum astutius capite serpentis.*

Nunc de columbina simplicitate videamus. Clemens Alexand. lib.I.Pædag.cap.5.& lib.II.& VII. Strom. columbas dictas ἀκεραίους, interpretatur ἀκάκους καὶ ἀχόλους, hoc est, sine dolo & bile, nullis armis ad pugnandũ instructas. D.Hieronym.in Epist.ad Paulin. *Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos: & serpentis astutiam, ne aliorũ supplanteris insidijs. Non multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi Christianum.* Greg. Nazianz. in Orat. de funere patris. Tertullianus apertam simplicitatem prudentiæ longo interuallo præfert, lib. aduers. Valentinianos, c.2. *Christum columba demonstrare solita est, serpens verò tentare. Illa & à primordio diuinæ pacis præco, ille à primordio diuinæ prædo. Ita faciliùs simplicitas sola Deum & agnoscere poterit, & ostendere: prudentia sola concutere potiùs & prodere.* Vide & Chrysostomum Homil.XXXVI. in I. ad Corinth. c.XIV. In Canticis quoque c.IV. v.I. oculi columbarum vocantur, quibus casti, sinceri, fideles oculi sunt. Vide D. Augustinum II.Tract.de Serm.Domini in monte, & lib.IV. contra Iulianum c.4. De Græcis Isid.Pelusiotam lib.II. Epist.175.& lib.IV. Epist.137.

IBIDEM V. 20.

Non vos estis qui loquimini.

Οὐχ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες.

PROVERBIALITER accommodatur in eos imperitiores, qui ab alijs cõdocefiunt de his quæ loqui debeant: vel in eos, qui præter spem audientium aliquid sapienter dixerint.

IBIDEM V.22. & CAP.XXIV. V.13. & MARC.XIII.V.13.

Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit.

Ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται.

DOCET non satis esse benè cœpisse, nisi ad extremum vsque spiritum perduret. Sic Hebræorum III. v.6. item cap.VI. v.11. Apoc.II.v.10. & Hieronymus: *Non cœpisse, sed perfecisse, virtutis est; quoniam nobis ante exitum vitæ cuncta sunt incerta.*

IBIDEM V.24. & LVC.XVI. VERS. 40.

Non est discipulus supra magistrum.

Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον.

IRENÆVS lib. I.cap.3. apud Epiphanium: Οὐδεὶς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον. *Non est discipulus supra magistrum.* Huic repugnare senarius ille Græcus videtur, qui est apud Ciceronem l.IX. Epist. ad Famil. 14. Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. *Multi discipuli meliores magistris.* & Iuuenalis illud Satyra XIV.v.202.

— meliorem præsto magistro
Discipulum. ———

Sed hęc conciliari Prouerbia possunt, cum Theophylacto ad hunc Matthęi locum sic respondendo: Dum adhuc discipuli fuerint, minores sunt præceptoribus; si verò præstantiores magistris euaserint, non ampliùs erunt discipuli. Affine huic est & loco & sensu sequens Adagium:

IBIDEM.

Non est seruus supra dominum.

Οὐ δοῦλος ὑπὲρ τὸν κύριον.

IOANNES cap.XIII.v.16. & cap.XV. v.20. sic extulit: *Nō est seruus maior domino suo.* metro autem Nonnus Panopolitanus in Ioan.c.XIII.v.17.

— Οὐδέ τις ἀνὴρ
Ἡγεμόνος πέμψαντος ἀπόστολός ἐστιν ἀρείων.

— Neque vllus vir
Legatus est præstantior Duce qui misit eum.

Et cap.XV. vers.84.

Δοῦλος ἀνὴρ οὐκ ἔστιν ἑοῦ βασιλῆος ἀρείων,
Οὐδέ τινος πέμψαντος ἀπόστολος ἔπλετο μείζων.

Vir seruus nō est præstātior suo domino,
Neque Legatus est maior aliquo qui misit eum.

CHRISTVS enim modò se magistrū, modò Dominum ibidem appellat, hortans discipulos, ne meliores sese existiment, vel sortem exspectent aliā, quàm ipse morte obita in crucem subiturus esset. Sic quisque secum ipse cogitet, Crucis signo spectato ex quo pendeat Saluator noster nudus: Si Dominus meus, idemque Magister, pro me misero cruci affixus est; quid me vilissimum non est æquum perpeti? quid mirum mihi aduersa accidere, cùm præceptori meo Christo tot tantaque mala cōtigerint? CHRISTVS itidem in hanc sententiam vtitur modo isto loquendi Ioan.cap.XIII.v.16. admonens discipulos suos, vt ne efferantur quòd eis lauerit pedes, cùm ait: *Amen, amen dico vobis, Non est seruus maior domino suo, neque apostolus maior est eo, qui misit illum.*

IBID. V. 26. & MARC. IV. V. 22. & LVC. XII. V. 2.

Nihil est opertum, quod non reueletur.

Οὐδὲν ἐστὶ κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται.

CONSOLATIO hæc adhiberi potest, cùm flagitia & scelera impunita transire videmus. Vtitur Ambrosius lib. ad Virginem corruptam, c. 6. vnde Seneca vtiliter monet: *Non aliter viuas in solitudine, aliter in foro.* In profanis litteris vsurpatum & illud, teste Tertulliano in Apologetico, cap. 7. *Benè autem*, inquit, *quòd omnia tempus reuelat, testibus etiam vestris prouerbiis atque sententiis.* Sunt autem hæ sententiæ: *Tempus omnia reuelare, Veritatem temporis esse filiam*: apud Philosophos & Tragicos, ac sæpiùs apud Pindarū Lyricum. Gellius enim lib. XII. Noct. Attic. cap. 11. loca Poëtarum collegit Sophoclis ac Menandri, dictumque Peregrini, cognomento Protei, *Nihil omnino rerum celari posse diutiùs.* Horatius lib. 1. Epist. VI.

Quidquid sub terra est, in apricum
proferet ætas.

IBIDEM V. 27.

Prædicate super tecta.

Κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων.

QVIDAM *supra domum* vertunt. nam δῶμα etiā οἶκος, si Suidæ credendum. Cui assensum præbet Manuel Moschopulus, scribēs, δῶμα εἶναι τὸ οἴκημα. & Glossarium vetus Latino-Græcum: Δῶμα, στέγη, στεγνὸν καὶ δῶμα. & Græco-Lat. Δῶμα, *tectum*, vt hîc significat. Voce hac pro *tecto* vsus est Interpres vulgatus, Prouerb. XXI. v. 9. & rursum XXV. v. 24. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa.* Hieronym. Dan. VI. v. 10. Δῶμα *Latinè dicuntur meniana, vel tecta siue solaria. &* ἀνώγαια, *id est cœnacula.* Idem in Epistolis ad Suniam & Fretellam, Δῶμα, inquit, *in Orientalibus prouinciis ipsum dicitur, quod apud Latinos tectum. In Palæstina enim & Aegypto, vel vbi scripti sunt diuini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina; sed domata, quæ Romæ vel solaria, vel meniana vocant, id est plana tecta, quæ transuersis trabibus sustentantur.* S. Anselmus in Matth. *Mos*, inquit, *architecturæ in Palæstina, vt tecta desuper plana, non cacuminata, habeantur. Similiter & templum Salomonis factum erat planum desuper, & in gyro cancelli deambulatorii, ne quis incautus inde laberetur, & erat ibi sedes Doctorum, vt inde loquerentur populo.* Prædicare itaque super tecta, est publicè vel palàm concionari: Iudæorum enim tecta, vt ostendimus, plana erant, non in cauiformam fastigiata, vt hodie nostra; vt quidquid rerum gereretur, audiri & conspici à transeuntibus posset, vt apparet Deut. XXII. v. 8. II. Regum XII. v. 11. & XVI. v. 22. Act. X. v. 9. Tractum itaque à concionatoribus, qui in suggestis palàm loquuntur, vel à præconibus, qui Magistratuū mandata, vel aliquid simile apud populum celso in loco promulgare solent, vt Isaiæ XL. vers. 9. *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem: exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus vester.*

IBI-

IBIDEM V. 29.

Vnus passer non cadet super terram.
Εἷς στρουθὸς οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν.

DOCET hic locus, prouidentiã Dei sese ad animantes extendere, si etiam tam pusilla auis absque eius nutu non possit perire. Cui fauet illud Apostoli 1. Corinth. IX. v. 9. *Numquid de bobus cura est Deo?* & illud Habacuc cap. I. v. 14. *Facies homines quasi pisces maris.*

IBIDEM V. 34.

Non veni mittere pacem, sed gladiũ.
Οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν.

ADDVCI potest in eos, qui pacis, qui quietis, qui iustitiæ hostes, bella, discordias, iniurias machinãtur, concitant, faciunt. Vis verbi Euangelici, quam CHRISTVS *gladium* appellat, perinde auellit mortales à malo vitæ instituto, atque gladius eosdem ad quiduis faciendum patiendumque cogere solet. Explicat S. Isidorus Pelusiota lib. IV. Epist. 36. Ἔστιν ὁ πόλεμος ἐναγὴς, καὶ εἰρήνη πάσης ἀσπόνδου μάχης ἀργαλεωτέρα. *Est & bellum sanctum, & pax omni implacabili pugna difficilior.* & lib. III. Ep. 246. Eamdem sententiam sæpè & Gregorius Nazianzenus inculcat, vt Orat. I. de Pace: *Vt optima quædam est dissensio, ita perniciosa est quandoque concordia. Pax amãda quæ bona est, boniq; causa nititur, nósque Deo coniungit.* Et mox: *Melior est contentio pietatis causâ suscepta, quàm turpis & vitiosa concordia.* Item Orat. ad CL. Episcopos: *Non est paci studendum, cum veræ atque orthodoxæ fidei pernicie.* Ambrosius lib. de S. Iacobo, cap. 6. & Augustinus Serm. 166. de Tempore. Vide & Photium in Bibliotheca Græca, pag. 335.

IBIDEM.

Inimici hominis domestici eius.
Ἐχθροὶ τοῦ ἀνθρώπου, οἱ οἰκιακοὶ αὐτοῦ.

DESVMPTVM hoc Prouerbium ex Michææ Prophetæ cap. VII. v. 6. Vsurpari potest ex sententia P. Cornelij à Lapide nostri, quando de Meo & Tuo in eadẽ domo vel familia litigatur. In his enim vnusquisque, etiam fratre despecto, sibi est proximus. Quinimò quò proximior, eò fit in odio magis hostis, vt Plutarchus alibi disserit. Romani ipsi quoque Adagio vsurpabant: *Quot serui, tot hostes*, vt Seneca Epistola CXLI. & Macrobius Saturn. cap. 11.

IBIDEM V. 39.

Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.
Ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν.

ANIMA pro vita, ex Hebræorum idiomate hîc dicitur.

CAP. XI. V. 7.

Arundo vento agitata.
Κάλαμος ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενος.

DEPINGVNTVR homines inconstantes, varij & mutabiles, qui confessionem suam ad Regũ & Principum suorum nutus, aut quemcumque fortunæ flatum facile inflectunt, vel qui detractioni facilè assentiuntur. Theophylactus ad hunc locum: *Hanc suspi-*

ſuſpicionem è medio tollens CHRISTVS*, inquit: Ioannes non eſt arundo, id eſt inconſtans & varius. Nam ſi talis eſſet, quare exiuiſtis ad eum in deſertum? Non enim ad arundinem, hoc eſt facilè mutabilem hominem, exiuiſtis. Proinde talis manet, qualem eum iudicaſtis.* Sic III. Regum XIV. v. 15. *Sicut moueri ſolet arundo in aqua.* Latini quoque dicunt apud Poëtam *ſegetes fluctuare*, cùm vento agitantur. Cuius leuitatis ſuſpicionem hîc CHRISTVS à Ioanne Baptiſta, & Spiritus ſanctus à pijs omnibus quàm longiſſimè remotam cupit. Ita Eccli. V. v. 11. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viā.* Epheſ. IV. v. 14. *Iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Hebręor. XIII. v. 9. *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor.* Huius inconſtantię vel cuiuſcumque impietatis pœnas, cùm particulares, liber tertius Machabæorum de Ptolomæo Philopatore commemorat; tum vniuerſales, quæ totis regionibus infliguntur, Siracides Eccli. XIX. v. 3. *Qui citò credit, leuis eſt corde.* Teſtis in Geneſi c. XXXIX. Putiphar, cuius vxor per calumniam Ioſephum caſtum accuſauit, quòd ab eo ſpreta ac repudiata in libidine eſſet (cuius exempla mulierum libidinoſarum octo colligit M. Ant. Muretus lib. I. Variar. lect. cap. 12. totidemque Gulielm. Canterus ex Hiſtorijs ac Poëtis Nou-antiquarum libro VI. c. 2. & Conrad. Rittershuſius Notis in Phædri apologos) & in Regum ac Iudith libris Abſolom & Holofernes; ne referam plures. Eccli. cap. XXVII. v. 12. *Stultus vt luna mutatur.* & Prouerb. XIV. v. 15. *Innocens credit omni verbo.* Hebr. *nimis ſimplex.* Chald. exponit, *inſipiens.* & ita Theologi in malam ſumunt partem. Epicharmi Poëtæ Siculi Pythagoræi ſtatuæ inſcriptum ferunt ſic, Latinè ſi dicas:

Quantum ſol vincit ſublimia ſidera cæli,
Quantaq; vis pelagi maior ineſt fluuiis,
Tantum ego profiteor ſophiâ præſtare Epicharmum, &c.

Huius celebre illud dictum circumfertur,

Μέμνασο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῆς σοφίας.
Neruos atque artus ſapientiæ eſſe, non temerè credere.

laudatum à Q. Tullio Cicerone, & à Marco fratre: & ſingulari Oratione illuſtratum à Dione Chryſoſtomo. Clemens Alexandr. lib. IV. Strom. exhibet,

Ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Euripides in Helena:

— Σώφρονος ἀπιστίας
Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.
Prudenti diffidentia nihil quidquam eſt vtilius mortalibus.

IBIDEM V. 8.

Homo mollibus veſtitus.

Ἄνθρωπος ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένος.

IN aulicos iactatum apparet, atque in homines voluptati deditos, vt expreſsè CHRISTVS addidit Luc. VII. v. 25. Si enim ex habitu de viro iudicium eſt ferendum (Eccli. XIX. v. vlt.) veſtis mollis mollem & effeminatum arguit animum. Sed de veſtium luxu dici hîc poſſet. ſed non huius eſt loci ac temporis. Paryſatidis tamen

Persæ matronæ, matris Cyri & Artaxerxis apud Plutarchũ Apophthegma huc pertineat. Illa enim iubebat eum, qui Regem admoniturus esset, byssinis verbis vti. & Æsopus apud eumdem Plutarchum in Vita Solonis, eamdem sententiam eleganti paronomasia sic expressit: Τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν. *Regibus colloquendum, vel quàm parcißimè, vel quàm iucundißimè.* Suspicionem verò vtriusque vitij CHRISTVS à Ioanne remouet, ostendens nec voluptatibus dedisse operam, vt qui aspera victus ratione in deserto contentus fuerit, Matth. III. v. 4. & c. XI. v. 18. nec impio Regi Herodi seruiliter fuisse adulatum, sed eius incestum & reliqua eius flagitia reprehendisse, Luc. III. v 19. Antiphanes apud Athenæum lib. XII. Dipnosoph. c. 34. Ionicę gentis luxum notans in Dodone, dicebat, molles delicatis vestibus amictos, voluptate defluere. Et Plato à Dionysio Siciliæ tyranno, ad cœnam vocatus, vestem purpuream recusabat, testibus Laërtio lib. II. & Suida, versibus his Tragicis vsus:

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολὴν
Ἄῤῥην πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἄῤῥενος.
Effeminata veste non possum tegi,
Cũ sim vir, & natus virili stemmate.

IBIDEM V. 12.

Regnum cælorum vim patitur.
Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται.

METAPHORA sumpta à castris, aut ab arce quapiá, quæ irrumpentibus hostibus diripitur. Quidam hîc *regnum cælorum* variè accipiunt, vt P. Io. Maldonatus notauit. Alij CHRISTVM ipsum, vt Ambrosius Sermon. 15. de Natali Domini: alij *vitam æternam*, aut cælum, vt Gregorius Hom. XX. in Euang. & Beda in hunc locum: alij *fidem*, vt Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus: denique *Ecclesiam*, aut *Euangeliũ*, vt multis alijs locis, cùm dicitur, *Simile est regnum cælorum.* Quid verò intersit inter *Dei regnum* & *cælorum*, disputat Pelusiota Isidorus lib. III. Epist. 206. & lib. IV. Epist. 136.

IBIDEM V. 15.

Qui habet aures audiendi, audiat.
Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

SOLET CHRISTVS hac vti phrasi, cùm de re maximè seria, & quæ maximè auditores attingit, verba facit, vt c. XIII. v. 9, 43. & Mar. IV. v. 9, 23. Luc. VIII. v. 9. Sic contrà, cùm terrorem incutientia referri dicimus, *tinnire aures* vulgò vsurpamus. Alludit ad illud Ierem. c. XIX. v. 3. *Ecce ego inducam afflictionem super locũ istum, ita vt omnis, qui audierit illã, tinniant aures eius.* Causam eius rei Corn. Celsus lib. VI. tradere conatur. Portentosum autem esse sonitum aurium, docet Polydorus Virgilius Dialogo de Prodigijs, & alij.

IBIDEM V. 17.

Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis.
Ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε.

VIDETVR fuisse hæc cantilena, quam pueri in foro cum æqualibus canere inter ludos solerent: nam pueros inter ludendum cantilare solitos,

tos, disces apud Laërtium lib. I. in Vita Pittaci, vnius in septem Græciæ Sapientibus, vt parem quisque duceret.

Accommodata autem hæc cantilena ad pertinaciam Iudæorum, qui nec Baptistæ doctrina & vita seueriore, Matth. III. v. 7. nec Christi humanitate permoueri poterant, vt in illo suauitatem, in hoc grauitatem morosè desiderarent; quin & conuersationem cum omnibus, ebriositatis & temulentię nomine traducere ausi sint, Matth. XI. v. 18. vt nimirum haberent vbique quod carperent. Simile illud piscatoris in Apologo apud Herodotum lib. I. quem Cyrus Ionum atque Æolum legatis, serò nimis pacem petentibus, recitabat: Παύεσθε μοι ὀρχόμενοι, ἐπεὶ οὐκ ἐμέο αὐλέοντος ἠθέλετε ἐκβαίνειν ὀρχεόμενοι. *Temperate*, inquit, *nunc à saltando, quandoquidem me tibiâ accinente saltare vobis non libuit.* significans, paulò anteà ipsius amicitiam benignè oblatam, insolenter adspernatos fuisse. Horatius in Arte Poëtica v. 102.

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi. —

Hinc *næniæ funebres*, pro aspera vel tristi oratione; & *cantus tibiæ*, pro dictis lenibus, corda mirè exhilarantibus. Allusum eódem ab Æthiopicæ Historiæ scriptore Heliodoro Triccēsi, Episcopo l. VIII. Ἦσθετο γυναικὸς λαθραῖόν τε καὶ γοερὸν, &c. Hinc igitur cantio in prouerbium iam olim versa est, quo in homines omnino inhumanissimos vti aptè possumus, quando nolunt neque *gaudere*, vti Apostolus ait, *cum gaudētibus, neque flere cū flentibus.*

IBIDEM V. 18.

Dæmonium habet.
Δαιμόνιον ἔχει.

QVEMADMODVM nunc qui arctius vitæ institutum sectantur, non solùm ab hæreticis, sed à plerisque etiam Catholicis pro stultis haberi solent; & experientia docet, insignem virtutem inuidiæ & obtrectationi obnoxiam: sic Ioannem pro dæmoniaco habitum hinc apparet ob vitæ austeritatem in eremo. In eos aptè dicetur, quibus satisfacere perdifficile est, vt qui nihil satis probent, nihil æqui boni que faciant. Tale illud Comici Terentij, imperitos plerumque nihil probare, nisi quod ipsi faciant, ex Adelph. Act. I. Scen. 2.

Homine imperito numquam quidquam iniustius,
Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.

IBIDEM V. 19. & LVCÆ VIII. V. 35.

Iustificata est sapientia à filijs suis.
Ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς.

HOC ait Dei sapientia, quæ dispofuit, vt CHRISTVS & Ioannes Baptista diuersis incederent vijs, ad hominum vtilitatem. *Iustificata est*, id est, iusta atque irreprehensibilis agnita est: nimirum, quòd nihil omiserit eorum quæ facere debuit ad hominum salutem. Illud autem, *à filijs suis*, Syriacè est, *à cultoribus suis*, id est intelligentibus, & amplectentibus eam, sapientibus hominibus, pijs ac religiosis. Hieronymus verò hîc annotat, in quibusdam Euangelijs legi, *ab operibus*

suis, id est, ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτῆς. Filij ergo, pro discipulis qui amant & quærunt sapientiam. Hebraismus ergo est, *filij sapientiæ*, pro sapientibus; & Hellenismus notissimus, vt παῖδες ἰατρῶν, pro medicis. Plura hîc Ioan. Maldonatus Societatis nostræ Theologus. Quadrabit Adagium in eos homines, qui singula Dei consilia & actiones, præsertim in Ecclesia gubernanda, reprehendunt. In externis quoque adduci potest, cùm filius parentem, aut discipulus præceptorem, docere conatur ipse docendus, quod Græci olim dicebant, ὗς Ἀθηνᾶν, *sus Mineruam*.

IBIDEM V. 29.

Tollite iugum.

Ἄρατε τὸν ζυγόν.

METAPHORA à iuuencis deducta, prouerbio monet, ad præceptorum suorum obseruantiam infractum animum adferendũ. CHRISTO assentitur Paulus, dicens: *State, & nolite iterùm iugo seruitutis* (scilicet idololatriæ, & legis Moysaicæ) *contineri*: ad Galat. v. vers. I. Ecclesiastici c. LI. v. 34. *Collum vestrum subiicite iugo.* Sic Ieremias Thren. III. v. 27. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* Quod expressit Pindarus grandiloquus Pyth. Oda II. ἐπῳδ. κῶλ. ιδ.

Φέρειν δ' ἐλαφρῶς
ἐπαυχένιον λαβόντα
ζυγὸν, ἀρήγει.

Iugum leuiter ferre super ceruicem,
cùm sumpseris, prodest.

Aliter Euripides in Hecuba v. 375.

Ὅστις γὰρ οὐκ εἴωθε γεύεσθαι κακῶν,
Φέρει μὲν, ἀλγεῖ δ' αὐχέν' ἐντιθεὶς ζυγῷ.

Qui non malis assueuit, ille fert quidẽ,
Verùm dolet, cùm colla supponit iugo.

Et Seneca lib. de Diuina prouidentia, c. 4. *Graue est, ferre ceruicibus iugum.* Iuuencus lib. II. Hist. Euang. v. 570. ita vertit:

Sumite forte iugum, leuis est mea sarcina iustis:
Namq; humili dulcem largitur corde salutem.

Et Sedulius libro I. Operis Paschal. vers. 285.

Hic est ille lapis reprobus, quem vertice gestat
Angulus, atque oculis præbet miracula nostris:
Cuius onus læue est, cuius iuga ferre suaue est.

Belial Hebr. est *sine iugo*, & *Filij Belial*, quasi *exleges*, qui negant iura sibi nata, neque Deo vel hominibus volunt obedire. qua de formula multa collegit P. Mart. Delrius noster in Adagialibus Vet. Test. ad illud Deuteronomij cap. XIII. v. 13. *Filij Belial.*

CAP. XII. V. 20.

Arundinem quassatã non confringet,
& linum fumigans non extinguet.

Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει.

DESUMPTUM ex Isaiæ c. XLII. ductâ figurâ, quòd calamum iam confractum tam facile sit conterere, quàm scintillam in lino, id est funiculo, vt fit, vel in quouis fomento seruatam extinguere. Adagium hoc apud Hebræos fuit de eo, qui tantũ aberat vt miserum hominem, humi quasi iacentem, & breuî moriturum, subleuaret, vt etiam insultaret, illique manus intentaret, non sine tamen reprehensione & sæuitiæ nota, vnde non esset habitura victoria laudem. Erasmum

mum hîc meritò reprehendunt, quòd pro *quassatam* vertit *comminutam*, id est contritam: quî enim fieri potest, vt quod iam comminutum est & contritum, confringatur? Virgilius lib. I. Æneid. v. 555.

Quassatam ventis liceat subducere classem.

Gemino itaque Adagio monet exemplo suo CHRISTVS, mores sequiores aliorum patienter esse tolerandos, omnemque iracundiam & vindictæ cupiditatem Christianæ mansuetudini esse condonandam. *In multis* enim, (vt Iacobus cap. III. v. II. ait) *offendimus omnes*. Et humanum est humanis casibus ingemiscere potiùs, quàm vindictæ acerbitate insultare. Monet quoque P. Corn. à Lapide ad illum Isaiæ locum, propriâ virtutem Ecclesiæ pastorum & Principum, clementiam & misericordiam, de qua Salomon Prouerb. cap. XX. v. 28. *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus eius.*

IBIDEM V. 25. & MARC. III. V. 23. & LVC. XI. V. 17.

Omne regnum contra se diuisum desolabitur.

Πᾶσα βασιλεία μεριθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, ἐρημοῦται.

REGNA & firmissima imperia mutuis odijs paulatim corruere, tandemque funditus euerti, pronuntiat hoc Adagio CHRISTVS. Pleni Philosophorum libri, pleni etiam Historici. Plato enim lib. II. de Republ. (citaturque ab Eusebio lib. II. Euang. Præparat. cap. II.) *Si Rempubl.* ait, *conseruare volumus, decet vt existimemus rem esse turpißimam, si alter alterum facilè odio prosequatur.* Dionysius verò Halycarn. lib. IV. aureâ Seruij Tullij Regis laudat sententiam, quam Latinè Mycipsa apud Sallustium in Iugurth. (cui sententiæ & M. Agrippa, Augusti gener, se plurimum debere fatebatur,) sic reddidit: CONCORDIA PARVÆ RES CRESCVNT, DISCORDIA MAXIMÆ DILABVNTVR.

IBID. V. 30. & LVC. XI. V. 13.

Qui non est mecum, contra me est.

Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι.

Et: *Qui non colligit mecum, spargit.*

Ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει.

SYRI hoc ita proferunt: *Qui non congregat mecū, spargendo spargit.* Translatio ducta à pastoribus, quòd qui appetente vespera oues cogunt, benè eas seruent; qui verò per spatium agunt, & non reducunt ad caulam, facilè eas perdant. Guil. Estius in Notis vtrumque hoc CHRISTI dictum per Adagium vsurpat, vt in re Christiana ac fidei nullam neutralitatem admittendam censeat, sed qui in CHRISTI partes non transeunt, nec fideliter Ecclesiam iuuant, hostes esse fidei, & pro paganis habendos. Vt enim vnus est Deus, & vnum Baptisma, sic & fides vnica est. Et Ioannes in Apocalypsi euomere ex ore suo Deum ait, qui neque frigidus neque calidus esset, sed tepidus. Inter externos Solon Atheniensium legislator exsecrari solitus erat eos, qui in bello ciuili neutrius alterius partis essent, vt auctor est Cicero lib. X. ad Atticum Epist. I. *Capite enim sanxit, si qui in seditione non alterutrius partis fuisset.* Et Plutarchus

in eius Vita ita loquens: *Ex ceteris eius legibus est singularis in primis & noua illa, quæ eum, in seditione qui fuisset neutram partem secutus, infamem esse iubet*, & quæ deinceps. Vide Agellium lib. II. cap. 12. Ad hæc bello ciuili Pompeiano aduersarios omnes putabant Pompeiani, qui secum non essent, vt idem Cicero Orat. Ligariana, verbis Iulij Cæsaris sic refert: *Te dicere audiebamus, nos omnes aduersarios putare, nisi qui nobiscum essent. Te omnes, qui contra te non essent, tuos.*

IBIDEM V. 34.

Progenies viperarum.

Γεννήματα ἐχιδνῶν.

DICI potest in ingratos eosque, quibus, vt S. Ignatius Martyr aiebat, cùm benefeceris, peiores fiunt. Perinde Lucas cap. III. v. 7. *genimina viperarum* dixit, quo modo Græci *filios Medicorum*, pro Medicis, & id genus alia proferunt; quia ferè filij parentibus sunt similes, eamdemque tractant artem. Causa in promptu est, quòd ritu viperarum, à parentibus dirum imbibissent venenum, perindeque occidissent suos patres Prophetas, atque pulli serpentis cum matris interitu exire soleant. *Viperam* enim dictum arbitrantur, quasi *viuiparam*, quòd viua pariat, sed à sobole extinguatur. Quare vnà cum cane & gallo gallinaceo in culeum parricidæ includi solebant, vt eiusdem sceleris socij & affines, de quo Pontanus noster Philocaliæ lib. I. cap. 22. Explicat & B. Isidorus Pelusiota lib. I. Epist. 105. quò Lectorem ablegamus. De ouis autem aspidum multa disserit P. Martinus Delrius ad illud Isaiæ LIX. v. 5. *Oua aspidum ruperunt.*

IBIDEM.

Quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali?

Πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν, πονηροὶ ὄντες;

SIMILE illud Lucæ c. VI. v. 45. *Malus homo de malo thesauro profert mala.* Significat nimirum Prouerbij specie, verissimum illud oraculum, orationem esse animi indicem ac veluti speculum, quod Solon Legislator apud Laërtium pronuntiat. Dicebant enim veteres: *Qualis vir, talis oratio.* Seneca ad Luciliũ Epist. CXIV. *Apud Græcos*, inquit, *in prouerbium cessit, Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.* Et Clemens Alexandrinus lib. III. Stromatum: *Qualis sermo, talis vita.* Græcè verò exstat apud Aristidem, in secunda Rhetorices aduersus Platonem Defensione: Οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτον εἶναι καὶ τὸν λόγον. *Cuiusmodi sunt mores, eiusmodi & orationem esse.* Plura collegit & Chiliastes, & Pet. Victorius Philologus doctiss. lib. IX. Var. Lect. cap. 6. Vide quæ infrà adnotabimus ad Lucæ illud cap. XIX. v. 22. *De ore tuo te iudico.* Gregorius Nazianzenus Orat. XXXVI. de Filio, quæ est quarta de Theologia, inter ea quæ fieri non possunt numerat, à prauo homine rem frugi bonamque proferri.

IBID. V. 34. & LVC. VI. V. 45.

Ex abundantia cordis os loquitur.

Ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ.

SIGNIFICATVR, ex corde tamquam locupletissimo penu depromi quæcumque homines dicunt, aut faciunt. Theophylactus ad hunc Matthæi locum,

cum, restringere videtur ad eos, qui spurcè loquuntur & obscœnè; non ineptè. *Quando videris*, inquit, *obscœnè aliquem loquentē, scito multò plura habere in corde, quàm quæ loquitur. Nam ex abundantia, effundit se in externa.* Affine illud CHRISTI apud Ioannem c.III.v.31. *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur.*

IBIDEM V. 34.

Bonus homo de bono thesauro profert bona.

Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά.

ERIT vsus, cùm significauerimus, probum virum non posse improbè facere quidquam. Deducta figura ex eo, quòd in corde, vt attestatur Plinius, sit animi sedes. Quo fit, vt si quidpiam cordatius dicatur, ex corde, hoc est, ab intimis animi penetralibus, proficisci existimetur, & à corde *cordatus* quisque appelletur: & velut quis thesaurum in interiorem domûs partem abdere solet; ita natura cor, vt totius corporis thesaurum, intra viscera penitus reposuerit. De boni significatione ὁμωνύμως accepta, disputat S. Isidor. Pelusiota lib. III. Epist. 92. & 117.

IBIDEM.

Malus homo de malo thesauro profert mala.

Ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει πονηρά.

TRACTVM in diabolum, qui diuersum à IESV studium habet: vt bonus bonitatem redolet, sic malus malitiam. Quadrabit in hominem pessimum, à quo nihil boni proficisci possit. Simile illud Matth. XV. v. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ*, &c. Exeunt, quia inde promanant, quamuis non semper in verba erumpant aut facta.

IBIDEM V. 43.

Spiritus immundus reuertitur in domum vnde exiuit.

Τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐπιστρέψει εἰς τὸν οἶκον ὅθεν ἐξῆλθεν.

THEOPHYLACTVS ad Baptisma parabolam accommodat, quòd per id spiritus eijciatur ad non baptizatos; at cùm illi peccauerint, reuertatur eódem. Dici solitum, vbi fraudes & doli malo sunt auctori, in eiusque caput recidunt.

CAP. XIII. V. 5.

Semen in petrosa cecidit.

Σπέρμα ἐπὶ τὰ πετρώδη ἔπεσε.

HVIVS Euangelicæ allegoriæ vsus erit, cùm inaniter laboramus, aut beneficium conferimus in ingratos, quod perinde perire videatur, ac si supra lapidem sementem faciamus. Indidem vel illud, *Semen in terram bonam cecidit*, dicitur, cùm dociles docemus, gratos iuuamus, bonos fouemus: siquidem in illis instituendis, beneficioque afficiendis, perinde operam minus ludimus, atque sator, cùm in terram fertilem semen iecerit, à quo haud dubiè fructus prouenient vberiores. Dici quoque potest de hominibus superbis, qui sublati in altum carent radice humilitatis, & charitatis irriguo, & ideò celerrimè marcescunt, Isaiæ

Isaiæ c.XXXVII.v.27. *Facti sunt sicut fœnum agri, & gramen pascuæ, & herba tectorum, quæ exaruit antequam maturesceret.* Eadem pæne verba legas lib.IV.Regum c.XIX.v.26. & Psalmo CXXVIII. v.6. *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit.* & ibi Arnobius in hæreticos inuehitur.

IBIDEM V. 12.

Qui habet dabitur ei, & abundabit.

Ὅστις ἔχει δοθήσεται αὐτῷ, καὶ περισσευθήσεται.

ET CAP. XXV. V. 29.

Omni habenti dabitur & abundabit.

Τῷ ἔχοντι παντὶ δοθήσεται, καὶ περισσευθήσεται.

C.XIV. & MARC.XIV. V. 15. & LVCÆ VIII. V. 18, 19, 26.

Qui non habet, & quod habet auferetur.

Ἀπὸ τοῦ μὴ ἔχοντος καὶ ὃ ἔχει, ἀρθήσεται.

APPLICARI potest, ex sententia Doctoris Estij in Notis, ad cap. XXV. Matthæi, ad dona Spiritus sancti gratis data, quæ pijs sæpè augentur, habita ratione sedulitatis, & pro bono vsu talenti à Deo accepti quasi mercede seu præmio. præcedit enim, *Euge serue bone*, &c. Sic *habere* hîc dicitur, qui abundat re aliqua: nihil verò habere hyperbolicè, pauca admodũ possidens. Notant quoque contraria hæc Adagia peruersum mundi morem, quo plerique ditioribus donant, pauperibus verò pauxillum quod habent eripiunt. Vide II.Reg.XII. v.4. Nathanis verba ad Dauidem, ouem alienam præripientem. Sic & Poëta Bilbilitanus lib.IV. Epigr.83.

Semper eris pauper, si pauper es, Aemiliane:
Dantur opes nulli nunc, nisi diuitibus.

Propheta Ieremias c.VIII.v.10. *Quæcumque dedi ipsis, auferentur ab eis.* Socratis quoque lepidum est dictũ apud Antonium lib.1. Melissæ, cap.29. *Qui diuiti*, inquit, *largitur, nihil ab eo differt qui aquam in mare profundit.* Vide Adagia, *Ligna in siluam ferre.* Terentius initio Phormionis, Act.1. Scen.1. vers.7.

Quàm iniquè comparatum est, hi qui minus habent
Vt semper aliquid addãt diuitioribus.

IBIDEM V. 13.

Videntes non vident.
Audientes non audiunt.

Βλέποντες οὐ βλέπουσι.
Ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι.

HOC loquendi genere Græci potiùs quàm Hebræi vtuntur, vt clarum ex illo senario iambico:

Ὁ γραμμάτων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων.

Litterarum imperitus videns non videt.

Hebræi dicerent, *Videndo non vident*, vt Exodi III. v.9. *Videndo vidi afflictionem populi.* quæ conduplicatio emphasim continet. Tale Isaiæ oraculum est cap. VI. v.9. *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere*, &c. In Prouerbij consuetudinem venit in eos, qui quod non placet, callidè dissimulant.

IBIDEM V. 15.

Incrassatum est cor populi.
Ἐπαχύνθη ἡ καρδία τοῦ λαοῦ.

DESVMPTVM ex Isaiæ c.VI. v.10. vbi imperandi modo cur legatur, *excæca cor populi huius*, rationem reddit Ioan. Maldonatus noster hoc loco. Vsus & Paulus Actor.XXVIII. v.27. Dici potest de valdè ingrato homine erga benè meritos, ductâ metaphorâ à calcitrone equo, qui quò pinguior est, hoc magis calcitrat.

IBIDEM V. 25.

Seminare zizania.
Σπείρειν ζιζάνια.

VVLGO est, discordias, simultates, dissidia inter mortales velle, item seditiones, altercationes, contentiones atque dissensiones facere. Sunt enim zizania, vt notum, herbæ infelices; quæ perinde frugibus officiunt, vt discordia paci inimica est. Vnde Maro Ecloga v. & 1. Georg.

Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.

Dæmon ergo Ecclesiæ Doctoribus dormientibus hæresim sparsit.

IBIDEM V. 33.

Fermentum in farinæ absconditum satis tribus.
Ζύμη εἰς ἀλεύρου σάτα τρία κεκρυμμένη.

AENIGMA Euangelicum D. Hieronymus in hunc locum cum primis soluere conatus, tandem ad mysterium Trinitatis refert. Io. Chrysostomus verò Hom.XLVII. hîc tantùm ait, Apostolos multas, gentes ad fidem Christianam adducturos, vt fermentum solet magnam farinæ copiam in suam vertere naturam. Et ait, tria pro multis posita. Est autē *satum* mensura non tantùm aridorum, sed & liquidorum. Leuit.XV.v.5. *Quadraginta sata aquæ.* Vox Syra est, sesquimodium capiens. de quibus mensuris sacris hoc sæculo multi multa litteris mandarunt, quò Lectorem ablegamus. Allegoria autem prouerbialis est: dici potest de homine pestilente, quando fermentum in malam quoque partem capi solet, vt est illud: *Cauete à fermento Pharisæorum*, Matthæi XVI. v.11. Explicat S. Isidorus Pelusiota lib.1. Epist.201.

IBIDEM V. 44.

Thesaurus absconditus.
Θησαυρὸς κεκρυμμένος.

IN terram defossus thesaurus, vt ab auaris fieri amat, nec domino quidquam fœneratur, nec alijs vel tantillum prodest, Matthæi XXV. v. 18. Lucæ IX. v. 20. Passim hanc parabolam citare Prouerbij nomine possumus, si quando velimus innuere, virtutem non esse cuiquam obuiam, nec cuiuis eam facilè contingere, sed vt rem multo labore comparandam esse absconditam in agro, hoc est, in multa bonorum Auctorum lectione. Hinc illud Eccli.XX. v. 32. & XLI. v.17. *Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Quem Scripturæ locum adhibuisse Ptolemæum Philadelphum, visis veteris Instrumenti libris Hebraicè conscriptis quos legere nequiret, refert Epiphanius lib. de Mensuris & pon-

deribus. Persius similiter Sat. I. v. 27.

Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.

Horatius lib. IV. Oda IX.

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus. —

Sic Ouidius, siue Lucanus is est, ad Pisonem v. 225.

Abdita quid prodest generosi vena metalli,
Si cultore caret? —

De Græcis verò Theognis v. 770.

Τί σφιν χρήσηται, μοῦνος ἐπιστάμενος;
Quid suis prosit solus sciens?

Eòdem allusit Plutarchus lib. περὶ τοῦ, Λάθε βιώσας: *Quemadmodum aquæ clausæ, quòd in vmbra hæreant, neque perfluant, computrescunt; sic & vis natiua eorum qui tepidam vitam degunt, si quem vsum præstare valent, dum non prolabitur, tandem corrumpitur & consenescit.* Haud incongruè igitur hi qui scientiam tegendo abscondunt, ceruis æquiparari queant, qui cornua stato veris tempore amissuri, quàm maximè inuia petunt, & dextrū defodiunt, teste Plinio lib. VIII. Nat. Hist. c. 32. Vnde & natum Adagium: *Vbi cerui cornua deponunt.* Affine & illud vetus dictum: *Odi sapientem qui sibi non sapit.* & illud Neronis apud Suetonium, *Occultæ musicæ nullum esse respectum.* Cui affinis Græcus senarius:

Τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος.
Nullus latentis Musicæ respectus est.

Cui similis est apud Lucianum in Harmonide:

Οὐδὲν ὄφελος ἀποῤῥήτου καὶ ἀφανοῦς μουσικῆς.

Non erit ignotæ gratia magna lyræ.

Gellius lib. XXIII. Noct. Attic. c. 10. vertit: *Egregiam musicam quæ sit abscondita, eam esse nulli rei.*

IBIDEM V. 47.

Sagena ex omni genere piscium congregans.

Σαγήνη ἐκ παντὸς γένους συναγάγουσα.

APVD vulgus iam pridem in Prouerbium abijt haudquaquam inconcinnum: si quando enim libuerit significare, quempiam ordinem affluere deformi ac incondita hominum turba, tum prouerbialiter dicemus, *Sagenam ex omni genere congregare*, hoc est, promiscuè ex omni mortalium colluuione admittere. CHRISTVS autē obscurè prædicit Apostolos fore piscatores hominum, & plurimas gentes ad pium Religionis veræ cultum adducturos. Venustè Isidorus Pelusiota de CHRISTI regno lib. I. Epistolâ 204. & 205.

IBIDEM V. 52.

Scriba doctus profert de thesauro suo noua & vetera.

Γραμματεὺς μαθητευθεὶς ἐκβάλλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά.

SIC certè vocantur Doctores, quos & Sapientes & Magistros appellant. Parabola iam prouerbialis passim facta, indicat, Episcopos ceterosque Sacerdotes debere veteris & noui Instrumenti esse scientes, quando illi soli sunt Scribę, quibus hoc munus scribendi, id est docendi, obeundum sit. Io. Maldonatus sic: *Noua & vetera proferre, etsi simile exemplum in Scripturis non occurrit, Hebraico Prouerbio dictum videtur, cui simile illud Gallicum est: Viride & siccum.*

IBI-

IBIDEM V.57. & LVC.IV. V.24. & IOAN.IV. V.44.

Non est propheta sine honore, nisi in patria.

Ο'υκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι.

Marcus cap. VI. vers. 4. interserit: *Et in cognatione sua.* Καὶ ἐν τοῖς συγγενέσι.

NONNVS in Ioan. Euang. cap. IV. v. 219. ita habet:

— Προφήτης
Ο'υ δύναται περίπυστον ἔχειν ἐνὶ πατρίδι τιμήν.

Propheta non potest percelebrem habere honorem in patria sua.

Iuuencus lib. II. v. 30.

Temnuntur proprijs miracula semper in oris,
Et sine honore manent patria sub sede Prophetæ.

Nomine *Prophetarum* quæuis artes vitæque instituta intelliguntur, etiam Scriptorum ac Magistrorũ. De Prophetis è veteri constat Testamento: de Iosepho nihili habito à suis, Genesis XXXVII. v. 4. de Dauide Regio Propheta, I. Regum XVII. v. 28. de Ieremia, c. XXXIX. v. 12. & c. XII. v. 5, 6. & XV. v. 21. de reliquis autem Prophetis, II. Reg. IX. v. 11. & Isa. XXVII. v. 2. Ezech. XXXIII. v. 31. CHRISTVS quoque suis nõ satis charus, Ioan. VII. v. 3. & 5. *Neque fratres eius credebant in eum.* & Ioan. I. v. 11. *Sui eum non receperunt.*

Causæ tres potissimùm numerantur: primò, recordatio educationis simul; secundò, æmulatio & inuidia, teste Hieronymo lib. II. in Matth. c. 13. tertiò, peruersitas mundi, qui vbique exotica & peregrina præfert domesticis, vt obseruat Theophylactus in hoc Matthæi caput, & in Lucæ c. IV. Poëtarum videamus testimonia. Eupolis Comicus apud Stobæum Serm. III. (Latinè si vertas,) sic ait:

Si quem externum Poëtam auditis, hunc sapientem dicitis;
Sed si quis è nostratibus, qui nihilo deteriùs sapit,
Animum ad poësim adijcit, mentis suæ non integer,
Delirus atque insanus est, vestra quidem sententia.

Sic Plutarchus libro de Exilio: *Ex prudentißimis & sapientißimis paucos admodum reperias, in quibus fouendis aut ornandis patria sollicita fuerit, vel qui in patria sint euecti.* Et mox: *Probatißimus & optimus quisque peregrè viuit.* Ita Ennius Poëta in Medea apud Tullium lib. VII. Epist. ad Fam. 6.

Nam multi suam rem benè gessere, & publicam
Patria procul: multi domi qui ætatem agerent
Propterea sunt improbati. —

CAP. XIV. V. 31.

Modicæ fidei, quare dubitasti?
Ο'λιγόπιστε, εἰς τί ἐδίστασας;

SI *Apostolo Petro,* inquit Hieronymus, *qui confidenter rogauerat Saluatorem dicens: Domine iube me venire ad te super aquas; quia paululũ timuit, dicitur, Modicæ fidei, quare dubitasti? quid nobis dicendum est, qui huius modicæ fidei ne minimam quidem habemus portiunculã?* Cur autẽ CHRISTVS permiserit aut mergi aut timere, respon-

dent Chryſoſtomus & Theophylactus, ne tanto miraculo ſuperbiret. S.Hieronymus verò his verbis: *Ardebat animi fides, ſed humana fragilitas in profundum trahebat. Paululum ergo relinquitur tentationi, vt augeatur fides.*

CAP. XV. V.8.

Honorare labiis tantùm.

Τιμᾷν τοῖς χείλεσι μόνον.

VSVS eſt hac figura Iſaias c.XXIX. v. 11. vnde & hîc CHRISTVS hoc loco. Prouerbialiter dicitur de eo, qui diſſimulanter, fictè ac blandè quempiã commendat, aliud loquens, aliud ſentiens; cùm ea laus de corde non proficiſcatur, vbi ſedes eſt animi, ſed in ore orta ſit. Plutarchus in M. Portio Catone refert, apud Athenienſes, cùm quæcumque Cato breuiſſimo ſermone expedierat, eã vix longo verborum ambitu redderet interpres, dictũ eſſe, Græcis orationem è labijs, Romanis ex corde proficiſci. S. Iſidorus Peluſiota lib. III. Ep. 158. *Fides*, inquit, *operibus potiùs quàm ſermonibus prædicari debet. Quodq́; hoc verum ſit, tum externi teſtantur, cùm aiunt, Sermone monſtrant clariùs, quod vult opus: tum etiam efficaciùs Apoſtolus his verbis* (Tit. I. v. 6.) *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.*

IBIDEM V. II.

Quod intrat in os, non coinquinat hominem.

Οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

CATHOLICI cõtra tempeſtatis huius Caluinianos tenemus cum CHRISTO, vt hîc Ioan. Maldonatus diſputat, quod intrat per os non coinquinare hominem; omnis enim creatura Dei bona eſt: ſed inobedientem animum, qui contra Eccleſiæ præceptum, cui Deus obedire iuſſit, cibum ſumit, hominem inquinare tuemur. Atqui Caluiniſtarum ſatanica ſynagoga, cùm aliqua molienda proditio eſt, ieiuniũ hodiéque indicit. Poteſtne ergo hæreticorum ſynagoga, vt malè agat; non poterit Dei Eccleſia, ne malè agat? Hæc Maldonatus. Quapropter cùm hodie plerique fidei Catholicæ deſertores, eius legis nihil metuentes, quocumque anni tempore, etiam ieiunijs ſacro, carnibus (vt de lacte, caſeo, ouis ſimul poſtremò vetitis taceamus) veſcantur, iactantes, *Quod intrat in os, non coinquinat hominem*; videant, ne in hoc planè imitentur belluas, quæ ventri tantùm inſeruiunt. Si quod intrat per os, ô Caluiniane, non coinquinat hominem, an non ebrietas? nam vinum per os intrat. an non intemperantia cibi, quæ γαστριμαργία ſeu Gula vocatur, hominem coinquinat? Vide hominum ſtuporem!

IBIDEM V. 14.

Cæcus cæcum ducit.

Τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖ.

LVCAS cap. VI. verſ. 39. interrogatiuè dixit: *Numquid poteſt cæcus cæcum ducere?* Μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; Tertullianus de Reſurrectione carnis, cap. 3. *Quid cæco duci inniteris?* Et de Præſcriptione aduerſus hæreticos cap. 14. *Tu qui proinde quæris, ſpectans ad eos qui & ipſi quærunt, dubius ad dubios, incertus*

tus ad incertos, cæcus ad cæcos, in foueam deducaris necesse est. Rursum lib. III. adu. Marcionem, c. 7. *Cæcus à cæco in eamdem deductus foueam.* & lib IV. c. 46. *Sic cæcus cæcum deducere solet.* Iuuencus lib. III. v. 157.

Cæcus fortè ducem cæcum si nactus oberret,
Incidet in foueam, pariter demersus vterque.

Cario in Aristophanis Pluto:

Οἱ γὰρ βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγούμεθα.

Nam qui videmus adsumus cæcis duces.

Omnes itaque hæreticorũ duces hîc intelliguntur, qui vt infirmi & errantes, infirmum & errantem iuuare non possunt. Simile illud Isaiæ c. LVI. v. 10. *Speculatores cæci.* & Suidas in Adagio Homerico Ἰλιάδ. κ'. v. 515. ἀλαοσκοπίην ἔχειν, vel simpliciter ἀλαοσκοπίη, quam Methodius in Etymologico magno τυφλὴν κατασκοπὴν, id est *cæcam speculationem* interpretatur.

IBIDEM V. 20.

Non lotis manibus manducare.

Ἀνίπτοις χερσὶ φαγεῖν.

Lex à Sacerdotibus data, vti testatur Chrysostomus Hom. in Matthæi LII. apud Iudęos iubebat, ne quis nisi lotis manibus cibum caperet. Cuius rei crimen Scribæ & Pharisæi discipulis Christi adscribebãt. At ille demonstrans, oportere potiùs purgare animos, quàm manus abluere, omnia animi vitia simul exposuit. Gentes quoque illotis manibus pedibusque sacra adire Prouerbio vetabant, apud Diogenianum in Parœmijs. vt & Hesiodus in Operibus & Diebus vetat, ne quis manè Ioui libet vinum χερσὶν ἀνίπτοις, ac ne amnem quispiam ingrediatur aut fontem *illotis manibus*. In Homero frequens χέρνιβον, quasi *manuum lotio*. Nazianzenus quoque vtrumque coniunxit, in Apologia de Fuga sua in Pontum: *Illotis vt dici solet manibus, ac profanis pedibus, semet rebus sacratissimis ingerunt.* Gaius ICtus L. 1. ff. De origine Iuris, & de Medicis Galenus lib. de Virtute simplicium remediorum VII. *Ac fortassis*, inquit, *haudquaquam mirum est, si & mysteriorum libros quidam sacris non initiati sunt ausi legere.* Sic Galenus.

IBIDEM V. 24.

Non sum missus nisi ad oues perditas.

Οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα.

Indicat Christvs se missum ad oues perditas domus Israëliticę, hoc est, teste Hieronymo, ad seruandos ante omnes, Iudæos, ac deinde ceteros. Quare nos manifestè monemur, iuxta Platonis sententiam libro V. de Legibus, bonum Reipub. statum rerum omnium communicatione constare primùm debere patriæ ac parentibus, deinde amicis, ac postremò cunctis. Contra Caluinianos, qui ad prædestinatos suos hoc solum pertinere falsò iactant, hîc disputat Maldonatus Societatis nostræ insignis Theologus. De Gentium conuersione S. Isidorus Pelusiota lib. I. Ep. 121. & S. Prosper: qui liber hactenus S. Ambrosio falsò adscriptus.

IBIDEM V. 26.

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

Οὐκ ἔστι καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις.

HIc filijs canes opponuntur, vt in vocatione Gentium infideles sæpè canes nominantur immundi: pòst verò cælesti mensæ accumbent Gentes fideles Iudæorum successores, qui obstinato animo in reprobum sensum venerunt. Historia autem Syrophœnissæ est, vnde sumptum Adagium, Matth. XV. v. 22. & Marci VII. v. 27. Theodoretus Comment. in Psal. IX. v. 11. sic accommodat ad illud, *Annuntiate inter gentes studia eius: Qui quondam inimici erant, amici facti sunt; longinqui, proximi; serui, filij: qui in ignorantia erant, in cognitione sunt; qui in tenebris, in luce; in spe vitæ, qui mortui erant; pauperes, heredes regni cælorum. Iudæi procul, & Gentes prope; filij canes, & canes filij.* Credibile est, consueuisse Iudæos omnes alias Gentes, canes appellare: sicut Græci barbaros nominabant Hebræos; & hodie Turcæ Christianos, canes audent appellare, & Hispani Mahumetanos vicissim canes appellare consueuerunt per contemptum, quasi canino ritu viuentes, vt II. Regum III. v. 8. & XVI. v. 9. & IV. Regũ VIII. v. 13. Ita prouerbialiter significauit, nos debere in primis respicere nostros ante alienos. Marcus autem cap. VII. v. 27. ait dixisse CHRISTVM *Sine priùs saturari filios.* Vnde & illud: *Catelli edunt micas, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*

CAP. XVI. V. 17.

Caro & sanguis non reuelauit.

Σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψε.

CARNIS appellatione Hebræis sæpè homines dicuntur, vt humana imbecillitas significetur, sicut Psalmo LXXVII. v. 39. *Recordatus est, quia caro sunt.* In nouo Testamento autem aliquoties *caro* & *sanguis* totam humanam naturam συνεκδοχικῶς significant; eamque interdum, ita vt est corrupta & infirma, sicut hoc loco, & I. Corinth. XV. v. 50. *Caro & sanguis regnum Dei poßidere non possunt.* Hîc verò Prouerbium eò pertinet, vt doceat CHRISTVS, se non per hominum doctrinam, sed per diuinam gratiam demonstratum esse Filium Dei. Absque negatione aptari poterit in eos, qui intrinsecus tantùm aut benè aut malè viuendi rationes habent, hoc est, nihil spirituale sapiunt, sed ex bonis externis pendentes, *carnis & sanguinis,* id est, corporis dumtaxat voluptatibus impensè vacant.

IBIDEM V. 23.

Vade post me satana.

Ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ.

HEBRAICA phrasis propriè significat, *Sequere me,* vt Hilarius interpretatur, & Hieronymus, Origenes, & Augustinus de Verbis Domini in monte, Serm. 13. Alij, *abi post me.* Instar Prouerbij increbuit in eum, qui cuipiam benè agenti se opponit, impedimentoque est, ac praue consulit, veluti *satanas*, id est contrarius siue aduersarius, vt & Matth. IV. hæc contra cacodæmonem adhibuit.

CAP.

CAP. XVII. V. 4.

Bonum est nos hîc esse.

Καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι.

SANCTVS Ambrosius meliore spiritu, quàm Caluinistæ, *imprudentem* Petrum appellantes, sic exponit in caput IX. Lucæ: *Bonum est, inquit, nos hîc esse. Hinc & ille Philip. II. v. 23. Dissolui, & cum Christo esse, multò melius. Nec laudasse contentus, non solùm affectu, sed etiam factorum deuotione præstantior ad exædificanda tabernacula tria, impiger operarius communis obsequij ministerium pollicetur. Et quamuis nesciret quid diceret, tamen pollicebatur officium: in quo non inconsulta petulantia, sed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, conditionis fuit; quod promittebat, deuotionis.* Adagij vicem obtinet, cùm significamus locum nobis gratum accidere.

CAP. XVIII. V. 6.

Expedit vt ei suspendatur mola asinaria in collo eius.

Συμφέρει αὐτῷ ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ.

HILARII Canone XVIII. & Ambrosij Serm. X. interpretatio placet, asinariá molam interpretantium, quam asinus ad multas res commolendas circumagere solet. Nonnulli enim de mola inferiore intelligunt, quæ ὄνος vocatur, & crassior esse solet, cùm superiori substernatur. Hieronymus autem ad hunc locũ CHRISTVM secundùm ritum Prouinciæ loqui asserit, quo maiorum criminum ista apud veteres Iudæos pœna fuerit, vt in profundum alligato saxo demergerentur. Quadrabit in eos, cùm innuerimus cuipiam expedire priùs perire, quàm postremò malè perire. Vsurpatur ab eodem Hieronymo vice Prouerbij in Ezech. lib. Cõment. XI. CHRISTVS hoc supplicij genus illis imprecatur, vetans simplices circumueniri, ignaros decipere, indoctos in errorem pellicere, aut imprudentibus malum aut scandalum obijcere. Sic Leuit. c. XIX. v. 14. de duobus agens, *Non maledices,* inquit, *surdo, nec coram cæco pones offendiculum.* Vtrumque coniunxit Philo Iudæus lib. de Creatione Principis, & longissimè explicuit, de externis Cicero III. Offic. Athenienses solitos fuisse publicis execrationibus eum deuouere, qui viam erranti non demonstrasset. Contrà laudat hominem qui erranti comiter monstrat viam. nam

Quasi lumen de suo lumine accendat facit,
Vt nihilo minùs ipsi luceat, cùm illi accenderit.

Iuuenalis de Iudæis Sat. XIV.

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

Huic diuino præcepto simile est quod habes Deuteronomij XXVII. v. 18. execratorium: *Maledictus qui errare facit cæcum in itinere.*

IBIDEM V. 17.

Væ homini per quem scandalũ venit.

Οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται.

QVIDAM sanctorum Patrum, Iudam proditorem intelligunt; sed mani-

manifestum est, generalem esse sententiã. Prouerbialis itaque hæc comminatio, in malos rectores, quò alijs ad exemplum sint, haud perperàm torquebitur.

IBIDEM V. 16.

In ore duorum aut trium testium stet omne verbum.

Ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα.

PRO σταθῇ est in Paulo futurũ tempus σταθήσεται, II. Corinth. XIII. v. 2. duorum hominum verum esse testimonium affirmans. Anteà Deuter.XIX.v.15. id pronuntiatur, *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Iosephus Iudæus lib.IV. Antiq.Iudaic. c.8. suæ Republicæ legem promulgat: *Vni testi fides non habeatur, sed tribus, aut minimùm duobus, quorum testimonium anteactâ vitâ verisimile fiat.* Et Epiphanius in Ancorato: *Nihil sine duobus tribúsve testibus geri potest.* Fuit & axioma Impp. & Iureconsultorũ, in ff. lib. XXII. Tit.v. vbi L.XII. *Pluralis enim elocutio duorum numero cõtenta est.* contrà atque Græci Grammatici, qui pluralem numerum de tribus minimùm efferunt. & in Codice Iustinianæo Tit. de Testibus. L. Iurisiurandi, vnius repudiari testimonium à iudicibus sancìuit. B.Hieronymus lib.II.contra Rufinũ, *Vni testi*, inquit, *ne Catoni quidem est creditum.* alludens ad Græcum illud Plutarchi: Ἑνὶ μαρτυροῦντι προσέχειν οὐδὲ Κάτωνι, καλῶς ἔχει. *Non tutũ est, vnius testimonio inniti, quantumlibet is vitæ ac morum grauitate ipsum etiam Catonem æquare videatur.* Nam & Græci dicunt: Εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. *Vnus vir, nullus vir.* CHRISTVS hac gnome auctoritatem conciliat Ecclesiæ, vt Ioan.VIII.v.16,17,18. vt Euangelium testium numero confirmetur. Apostoli ad Sacramentorũ vsum accommodant. I.Ioan.v.v.8. *Tres sunt qui testimonium dant in terra.* & Paulus Hebr.x.v.28. ad sacrarum litterarum symphoniam confirmandã adhibet. Eusebius lib.II. Demonstrat. Euang. extremo c.III. *Hæc non abs re*, inquit, *in vnum locum congeßimus, vt quasi in ore duorum testium eius quæ in Prophetijs spectatur concordiæ, de Saluatore nostro demonstratio, firmiorem acciperet auctoritatem.* Eadem Paulus Hebræor.II.cap.vers.4.

CAP. XIX. V. 6.

Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.

QVANDOQVIDEM in coniugio diuortium thori tantùm est separatio, non vinculi, quod sola morte rumpitur (fremant licet Caluinistę, aliter hodie & asserentes & seruantes) idcircò Prouerbij specie atque axiomatis instar habendum illud CHRISTI, quod in matrimonij fœdifragos ritè iactetur.

IBIDEM V. II.

Non omnes capiunt verbum hoc.

Οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον.

NEGAT Prouerbium hoc percipi à quouis, quod iam de diuortio, deque Eunuchis spiritalibus seu virginitate

nitate CHRISTVS disseruit. *Verbum autem in Scriptura pro re plerumque ab Hebræis vsurpatum, vt à Græcis τὸ πρᾶγμα, cùm & res Latinis variè accipitur, vt illud Lucæ II.v.15. Videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Gregorius autem Nazianzenus in hæc verba orationem habens exponit, Origenes Tractatu in Matth. cap. VII. & Ambrosius in Exhortatione ad Virgines. Subijcit verò Christus: *Qui potest capere, capiat.* sic dicitur: *Quem totus non capit orbis.* & Ioannis VIII.v.37. *Sermo meus non capit in vobis.* De virginitatis autem cultu S. Isidorus Pelusiota lib. IV. Epist. 165.

IBIDEM V. 26. & MARC. X. V. 27. & LVC. XVIII. V. 27.

Apud Deum omnia possibilia.

Παρὰ Θεῷ πάντα δυνατά.

DIXERAT id anteà Gabriel Angelus ad Virginem Mariam Luc. I. v.37. *Non erit apud Deum impossibile omne verbum.* Apparet itaque Adagium Iudæis familiare fuisse, in Dei & Prophetarũ sermonibus, Gen. XVIII. v.14. & Isaiæ XL. v.26. & alibi. Veteres enim, etsi Gentiles, sic pronuntiabant, teste Eusebio lib. VI. Præparat. Euang. cap. 10. Θεοῦ ἐπινεύσαντος, πάντα δυνατὰ καὶ ἀνεμπόδιστα· τῇ γὰρ ἐκείνου βουλήσει οὐδὲν ἀντιστῆναι δύναται. *Deo annuente omnia possibilia, nec quidquam impediri potest: illius enim potestati nihil resistere potest.* Et Linus vetus Poëta:

Ῥάδια πάντα Θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν,

Nihil impossibile esse, sed cuncta Deo facillima, asseruit. Et Epicharmus Pythagoræus apud Clem. Alexand. l. III. Strom. eundemque Eusebium l. XIII. Præparat. cap. 13.

Οὐδὲν ἐκφεύγει τὸ θεῖον, τοῦτο γινώσκειν σε δεῖ.
Αὐτός ἐσθ' ἁμῶν ἐπόπτης· ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν Θεός.

Nil effugit Dei numen, quod te notare conuenit. Is noster est inspector, impossibile nil quidquam est Deo. Et Pindarus Olymp. Oda XIII. ἀντιστρ. κώλ. ια.

Τελεῖ δὲ θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ' ὅρκον,
Καὶ παρὰ ἐλπίδα κούφαν κτίσιν.

Deorum potentia efficit vt opus aliquod facilè fiat, præter id quod quis iuret aut speret fieri posse. Stoici quoque apud Ciceronem lib. I. de Diuinat. *Nihil est quod Deus efficere non possit.*

IBIDEM V. 24. & MARC. X. V. 25. & LVC. XVIII. V. 25.

Facilius est camelum per foramen acus transire.

Εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν.

DE diuitibus CHRISTVS pronuntiat, vt de re propè impossibili. Sic Clemens Alexandr. lib. II. Strom. *Multò magis,* inquit, *Scripturæ credendum, quæ dicit, facilius fore vt camelus per foramen acus transeat, quàm vt diues se verè sapientiæ studio addicat.* Disputant hoc loco Interpretes de cameli nomine, an funis sit nauticus, quod propiùs ad acum, cui filum inseri solet, accedit, quàm animal gibbosum, vt plerique accipiunt. Dixi *plerique,* sic enim Clemens iam citatus, Io. Chrysostomus, vel Auctor

Operis imperfecti Homilia XXXIII. in Mattheum, & hîc Theophylactus, B. Augustinus Euang. Quæst. libro 2. Quæst. 47. Hieronymus in Isaiæ caput LX. Ambrosius in caput XVIII. Lucæ, & Hilarius Canone XIX. in Matth.

Pro fune verò *camelum* interpretãtur Arnobius Annotat. in Euang. & Suidas in Collectan. Κάμηλος τὸ ἀχθοφόρον ζῶον. Κάμιλος δὲ τὸ παχὺ χοινίον. *Camelus, animal oneribus ferendis aptum. Camilus verò, crassus funis.* Κάμηλος quoque in Aristophanis Vespis: Πρωκτὸν δὲ καμήλου. vbi Scholiastes: Θερμόπρωκτος γὰρ ἡ κάμηλος καὶ λάγνος: κάμιλος δὲ τὸ παχὺ χοινίον διὰ τοῦ ι. Vidi qui inibi pro μ, β, (quia eodem ferè modo olim pingebantur) κάβιλος legendum censerent, quomodo Hebræi *Cabal* appellant, vt Belgæ nostri *Cabel*, id est funem quo nautæ vtuntur vt anchoras proijciant. Iuuencus lib. III. Hist. Euang. v. 525.

Nam citiùs tenuis per acûs transire foramen
Deformis poterunt immania membra cameli,
Quàm queat vt diues cælestia regna videre.

Sedulius l. III. Operis Paschal. v. 348.

Namque foramen acûs sicut penetrare camelus
Membrorum præ mole nequit, sic diues, opima
Fertilitate tumens, tenuem non poßit adire
Cælestis regni ducentem ad limina callem.

Affine est Rabinorũ illud Adagium: *Non est elephas qui intret per foramen acûs.* Cui consonat illud Luciani lib. Aduersus indoctum libris tumentem. *Citiùs*, inquit, *quinque elephantos sub ala tegas.* vt Chiliastes vidit, adfertque similia, *Elephanti culicem conferre.* &, *Elephanti celeriùs pariunt.*

IBIDEM V. 30. & XX. V. 16. & MARC. X. V. 31. & LVCÆ XIII. V. 30.

Multi erunt primi, nouissimi; & nouissimi, primi.

Πολλοὶ ἔσονται πρῶτοι, ἔσχατοι· καὶ ἔσχατοι, πρῶτοι.

IVVENCVS lib. III. v. 549. obscuriùs paulò sic reddidit:

Primorum meritum postremi transgredientur:
Vltima præteriti capient vix præmia primi.

Primi hîc, qui tempore aut dignitate antecedunt; & contrà *nouißimi*, qui vltimi, vt sequens indicat Parabola de quinquies in vineam inuitatis, vt eius hoc lemma esse videatur. Copiosiùs Ioannes Maldonatus nostræ Societatis explanat contra hæreticorũ somnia. Exemplis illustremus. Iudas, Apostolus fuit, reiectus tamen vitio suo, Matth. XXVII. v. 5. At verò latronum alter sub vitæ finem in gratiam recipitur, Lucæ XXIII. v. 43. Petrus cetérique Apostoli se iactantes, capto CHRISTO in horto fugâ dilapsi sunt; at Iosephus & Nicodemus, meticulosi anteà, in CHRISTI funere audacter se profitentes, funus curarunt, Ioan. XIX. v. 39. Denique Paulus postremum se Apostolorum gloriatur, & ceteris plus laborasse, 1. Cor. XV. v. 8, 9, 10. Parœmia hac vtemur, si qui de gradu, quod aiunt, deiecti, hoc est

Magiſtratu ſubmoti in ordinem rediguntur, vt Iuuenalis dixit Sat.VII. v.195.

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul:
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

Vide & Parœmiam antiquam, *Dionyſius Corinthi.*

CAP. XX. V. 12.

Portauimus pondus diei & æſtum.
Ἐβαςάσαμεν τὸ βάρος τῆς ἡμέρας καὶ τὸ καύσωνα.

VBI prouerbialiter ſignificamus nos habita laboris ratione plus alijs meruiſſe, tempeſtiuè illud Euangelicum ſubijcimus. A mercenarijs hominibus facta tralatio, qui à manè ad veſperum in aliquo opere hærent.

IBID. V.16. & XXII. V.14.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi.
Πολλοί εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.

A MILITVM delectu deductum videtur, in quo ex magno hominum numero non niſi pauci, id eſt præſtantiſſimi quique, eliguntur. Citatur Prouerbij nomine à D. Hieronymo in Ezech. cap.XXXI. De gentium vocatione CHRISTVS & Paulus prædicunt, plures vocandos, paucos verò probandos in Eccleſia, & ſalute æterna acquirenda, Matth.VII.v.14. & XXII. v.5. & 11. Paulus Rom.X. v.16. Hebr.III.v.15. Affinia his Prouerbia antiquorum, quæ Chiliaſtes exponit, vt;

Plures thyrſigeros, paucos eſt cernere Bacchos.

Item:

Multos thriobolos, paucos eſt cernere vates.

Thrioboli, qui θριὰς, hoc eſt calculos ſeu ſortes, in vrnam conijciebant: ναρθηκοφόροι, *thyrſigeri*, feſto Bacchanalium thyrſum, id eſt ferulam vel haſtam aculeatam hederis obtectam geſtabant, quo modo depingit Ouid. lib.VI. Metamorph. v.593, 594, 600. & lib.XI. v.28. Libet adijcere verba Philemonis Comici Poëtæ maioris ex Athenæo lib.VII. Δειπνοσοφ. cap.21.

Non, ſi quis geſtat ad confutandum truam,
Adde etiam cultrum, dixeris rectè coquum,
Nec ſi quis piſces in patellam iecerit.

Ibidem:

Πολλοὶ βουκένται, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες.
Multi qui tauros ſtimulent, ſed rarus arator.

Hæc adhibet quoque S. Iſidorus Peluſiota Epiſt.89. libro earum Epiſtolarum, quas nos è Vaticana nuper eruimus Bibliotheca, & Antuerpiæ publici iuris vtraque lingua fecimus, vt quintus eſſe liber Epiſtolarum hactenus Pariſijs & in Germania editarum queant; ſunt enim propè ſexcentæ.

IBIDEM V.22.

Calicem bibere.
Τὸ ποτήριον πιεῖν.

IDEM eſt apud ſacrarũ rerum Scriptores, ac per voluntarium cruciatum ſubire mortem. *Bibere* autem, notum eſt pro haurire deſumi, vt olim dicebant, Abſorbere faſtidium vel tædium; & *calix* metonymicè pro calice contentis: & in Sacris litteris frequens,

quens, *calicem bibere*, hîc, & Matthæi XXVI. v. 42. item Prouerb. XXVI. v. 6. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.* Græce est, ἐκ τῶν ὁδῶν ἑαυτοῦ ὄνειδος ποιεῖται, vel potius, ἐκ τῶν ποδῶν: ex Hebræo enim vertunt alij, *Claudus pedem, & iniuriam bibens, qui mittit*, &c. Hispanismus quoque est hodie, *bibere vt aquam iniquitatem*, pro insigniter nequam esse. Psalmo CXV. v. 13. ait Regius Propheta: *Calicem salutaris accipiam.* ad quem locum plura Io. Bochius annotabat. Hæreticos autem, qui ad Eucharistiæ calicem trahunt, vt sub vtraque specie communionem mordicus tueantur, hîc refellit Maldonatus. Græci quoque poculum dabant reis Athenis Atticis, quod ebiberent aconito plenum, vt Socrati impietatis temerè accusato, l. 1. Tuscul. Quæst. ex Platone copiosè commemorat M. Tullius. Apud Aristophanem in Acharnensibus de sycophanta & quadruplatore inuenitur κρατὴρ κακῶν, *Crater malorum*: & apud Plutarchum lib. de Fortuna Alexandri, κρατὴρ φιλοτήσιος, quo bona fide se odia deponere, & amicitiam inire, & velle deinceps sibi cum amico prosperæ & aduersæ fortunæ vicissitudinem communem esse, profitebatur. Quò fortè CHRISTVS IESVS hîc respexit, cùm petentibus duobus filijs Zebedęi prærogatiuam honoris, ipse ad pericula & mortem secum adeundam inuitauit. *Potestis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* & Comicus Plautus in Casina, *Eodem poculo bibere*, pro incommodis ijsdem subiacere dixit. In fine quoque mensæ obseruatum, craterem circumlatum ἀγαθοῦ δαίμονος, quo inuicem sibi felicia precabantur, & ideò vocabant *boni genij poculum*; vt hodie pro salute patriæ vel amici: cuius Nicostratus & Theophrastus apud Athenæum l. XV. meminerunt.

CAP. XXI. V. 13.

Domus mea, domus orationis vocabitur.

Ὁ οἶκός μου, οἶκος προσευχῆς κληθήσεται.

ORACVLVM Isaiæ Prophetæ capite LVI. v. 7. Quòd fecerunt illam speluncam latronum, ex Ieremia desumptum videtur, apud quem Dominus cap. VII. v. 11. ait: *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris?* In Prouerbiũ cessit in eos, qui ad sacras ædes, voluptatis, vel lucrifaciendi contrahendique, seu puellis oculos adijciendi causâ, non item orandi, adeunt, in eisque frequenter ambulant. *Domus orationis* autem dicta, quam posterior ætas vocauit *templum*, quæ & *Oratorium* dictũ. Hinc & *proseuchæ* nomẽ. Iuuen. Sat. III. v. 296.

— In qua te quæro proseucha.

Erant autem *Proseuchæ* propriæ Iudæorum, vt annotauit Angelus Politianus Miscellan. c. 30. in quibus poma vendebant, vnde *Pomarij* cognomen: Exstat inscriptio vetus:

P. CORFIDIO SIGNIMO POMARIO
A PROSEVCHA.

IBIDEM V. 16.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

Ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον.

HVNC Psalmi VIII. versum 3. citat hîc CHRISTVS, & sibi meritò

ritò applicat, cùm pueri aduentum ei gratulantes clamarent, *Osanna in excelsis.* Hilarius, & Auctor imperfecti Operis in Matthæum, & Strabus, pueros quidē, sed non infantes fuisse putant. Arnobius lib I. Aduersus gentes, omnes omnino ætates, gentesque adeò barbaras, ab insita natura Deum esse & cognoscere & profiteri, copiosè docet, post Ciceronem in Tuscul. I. & Aristotelem, seu quisquis est auctor, de Mundo ad Alexandrum, qui nullam esse tradit gentem adeò barbarā, quin in cælum manus tendens, Dei esse sedem ostendat. Indicatur ergo Prouerbiali locutione illud, quod vulgi in ore est, *Tandem bona causa triumphat:* id est, innocentiam virtutemque inuidia omni & maleuolentia esse superiorem. Solebant siquidem & omni conamine annitebantur Scribæ & Pharisæi cum Sacerdotum principibus, CHRISTI Domini nominis gloriam, & latè se diffundentem mirabilium operum & diuinitatis famam, supprimere atq; extinguere; quam tamen vel inuitis & frementibus ipsis, adeoque quo stimulabantur liuore, triumphaturam, & per ora animosq; bonorum volaturam, innocentium & ἀλόγων infantium præconio asserit.

IBIDEM V. 41.

Malos malè perdet.

Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει.

SIGNIFICATVR non defuturam malis Dei vindictam, sed eos omnino citiùs aut tardiùs meritas esse pœnas daturos. Vide S. Isidori Pelusiotæ Epist. 375. earum quas nos è Vaticana Græcè edidimus, vbi hunc adhibet locum.

CAP. XXII. V. 12.

Amice, quomodo huc intrasti?

Ἑταῖρε, πῶς εἰσῆλθες;

IN eos dici queat, qui ad honorem aliquem irrumpunt, neque in se habent quod ea dignitate sit dignum.

IBIDEM V. 21. & LVCÆ XX. V. 25.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.

Ἀπόδοτε τὰ Καίσαρος, Καίσαρι· καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ.

PHARISÆOS CHRISTVS & Herodianos hiantes delusit, iubetque præstari Magistratibus obedientiam debitam, & Deo meritum cultū esse dandum: significans etiam, Politicam & Ecclesiasticā gubernationem confundi minimè debere, sed suum cuique tribuendum. Vnus Tertullianus Adagium hoc non semel illustrat. sic enim de Corona militis cap. XII. *Tu miles ac seruus alterius es: etsi duorum, Dei & Cæsaris, certè tunc non Cæsaris, cùm te Deo debes, etiam in communibus potiori.* & de Idololatria cap. XV. *Reddenda sunt Cæsari, quæ sunt Cæsaris; benè quod apposuit, Et quæ sunt Dei Deo. id est, imaginem Cæsaris Cæsari, quæ in nummo est; & Dei imaginē Deo, quæ in homine est: vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum.* Prouerbio igitur vulgò iactatū, cùm volumus significare, neminem esse suo debito fraudandum. Ad hoc vel illud Apostoli facit ad Rom. cap. XIII. v 7. *Reddite ergo omnibus quod debetur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal:*

gal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Obseruatum à curiosis pijsque hominibus, anno M.DC.XX. Nouembris die VIII. quo Pragensis pugna feliciter pugnata pro Ferdinando II. Aug. Pio, Felice, captaque vrbs Praga, Fredericum Palatinum Rheni victum fugatumque eodẽ die quo in Ecclesia Catholica Romana ex Euangelio prælegitur hoc sacrosanctum CHRISTI Edictum: REDDITE EA QVÆ SVNT CÆSARIS, CÆSARI; ET QVÆ SVNT DEI, DEO.

CAP. XXIII. V. 3.

Dicunt, & non faciunt.

Λέγουσι, καὶ οὐ ποιοῦσι.

IN Pharisæos CHRISTVS, vt hypocritas, & in falsos concionatores, quorum vita doctrinæ non respondeat, detorquet. De his Paulus Roman. II. v. 21. *Qui alium doces, teipsum non doces*, &c. Sic Chrysostomus apud Anton. lib. II. Melissæ c. 4. *Nihil*, inquit, *est frigidius doctore, verbis tantùm philosophante: hoc enim non doctoris est, sed histrionis.* Gregorius Nazianzenus in Metaphrasi apud Ioan. Damascenum Orat. III. de Imaginibus: *Nisi moribus doces, non est quod verbis doceas: ne quos oratione flectis, eos prauis moribus deterreas.* Veterum quoque gentium dicta huc referri queant: Accij Poëtæ quidẽ apud Nonium Marcellum in Agamemnone:

Cõposita dicta è pectore euoluunt suo,
Quæ cũ cõponas, dicta factis discrepãt.

Et Philosophorum scite dicta, vt Epicteti apud Agellium lib. XVII. Noct. Attic. cap. 19. qui tales Philosophos dicebat verbis tenus, factis autem procul esse. Et Lacydes apud Eusebium lib. XIV. Præparat. Euang. c. 7. *Aliter*, ait, *in scholis disputamus, aliter viuimus.* & ibidem Eusebius c. 12. Socratem quoque in Epistola Xenophon ad Æschinem testatur dixisse nequaquam quę non faceret. Οὐκ ἔλεγε μὲν ταῦτα, οὐχὶ δὲ ἔπραττε. Atheniensibus quoque olim obiectum, *eos scire quæ recta sunt, sed facere nolle.* Ita enim comparatum est, vt fortia loqui malimus, quàm factis exequi.

IBIDEM V. 4.

Imponere in humeros hominum onera grauia.

Ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων φορτία βαρέα.

METAPHORA à sarcinis sumpta est, quę vt in iumenta aut in hominum humeros imponantur, atque portentur, ligari solẽt. In ore omnium Prouerbij vice est, in eos qui turpiter officij admonitione indigent. Huc illud pertinet Pythagoræ symbolum, quo ęnigmaticè iuuandos eos censuit, qui onus sibi imponerent, non autem eos qui deponerent; vt refert B. Hieronymus Apologia contra Rufinum, & Clemens Alexandrinus Stromatum lib. I. & Iamblichus Symbolo XI. ac Porphyrius Malchi cognomento in Pythagoræ Vita.

IBIDEM V. 5.

Dilatant phylacteria.

Πλατύνουσι τὰ φυλακτήρια.

PROVERBIALITER in eos dicitur, qui per obseruationis legis simulationem gloriã sibi superstitiosè aucupantur, auramq; popularem studio venan-

venantur. Legem intulerat Deus Deuter.cap.VI.v.8. *Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos.* Hoc Hieronymus suo etiam tempore ab Indis, Persis, & Babylonijs factitatum fuisse dicit. Quid autem phylacteria & fimbriæ Iudæis, disertè hîc explicat Maldonatus noster, quem non transcribo.

IBIDEM V. 6.

Primos amare accubitus.
Φιλεῖν τὴν πρωτοκλισίαν.

PROVERBIALIS castigatio, qua ambitionis arguit Pharisæos, qui auctoritate atque dignitate cunctis antecellere contendebant, quando in cœnis volebant in primo discumbere loco. Quadrabit in ambitiosos homines, quorum conditio, teste M. Tullio, miserrima est, cùm in continuo leuitatis istiusmodi certamine eos esse necesse sit.

IBIDEM V. II. & LVC. XIV. V. II. & XVIII. V. 14.

Qui se exaltauerit, humiliabitur; & qui se humiliauerit, exaltabitur.
Ὅστις ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· καὶ ὅστις ταπεινώσει ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.

HOC Siracides exemplo demonstrat dicens Eccli.x.v.17. *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Salomon verò Prouerb.XI.v.II. *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: vbi autem est humilitas, ibi & sapientia.* & ibid.c.XVI. v.18. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Iuuencus libro III. Euang. Hist.v.618.

Turpiter eximio cogetur cedere cornu,
Quem tumor inflati cordis per summa locarat.

Hæc Prouerbia Dauidis & Prophetarum sæculis trita fuere, vt patet Psalmo LXXIV.v.17. & CXII.v.7. Prouerb.III.v.34,35. Isa.II.v.II. Ezechielis XVII.v.24. & potissimùm c.XXI. eiusdem, v.26. *Tolle coronam, aufer cidarim, nónne hæc est quæ humilem subleuauit, & sublimem humiliauit?* Inde ad Ægyptios transiere. & in Nouo Test. Lucæ I.v.52. concinit Deipara, *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* & Iacobus in Canonica c.IV. v.6. indeque ad Poëtas & gentes manauit oraculum. Hesiodus initio libri I. Operum de Ioue sic inchoat:

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥεῖα δὲ βριάοντα χαλέπτει.
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει.

Facilè enim extollit, facilè verò elatum deprimit.
Facilè præclarum minuit, & obscurum auget.

Æsopus Chilonem, vnum è septem Græciæ Sapientibus, interrogauit, teste Laërtio lib. I. quidnam faceret Deus; Τὰ μὲν, inquit, ὑψηλὰ ταπεινῶν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψῶν. *Excelsa humiliare, & humilia extollere.* quod apud Xenophontem lib.VI. Ἑλληνικῶν aliter paulò Iason extulit; Ὁ Θεὸς, inquiens, πολλάκις χαίρει, τοὺς μὲν μικροὺς, μεγάλους ποιῶν· τοὺς δὲ μεγάλους, μικρούς. *Deus sæpè è paruis magnos, è magnis paruos reddere cõsueuit.* Valent Adagia hæc, vt se quisque humiliet ac modestè de se ipse sentiat, ac loquatur, vt Philipp. II. v.3. *Nihil per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitran-*

trantes. Rex quoque Dauid ante arcam Domini ſaltans, vxori Michol reprehendenti ſic reponit: *Ero humilis in oculis meis, & glorioſior apparebo.* Factum in quoſdam Prouerbium, qui ſe tam graui caſui propoſitos eſſe minimè cogitant. E contrario remuneratio promittitur humilibus ac demiſsè de ſe ſentientibus: de ſe enim CHRISTVS ait Matth. XI. v. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Humilitatem, modeſtiam, animique ſubmiſſionem vnà cum virtutibus creſcentem, Dei imitatores eos efficere qui ſic viuunt; arrogantiâ autem non modò præſentia virtutis officia euertere, ſed etiam eum, qui alta ceruice eſt, ex ipſis cælis exturbare, id quod Lucifero, qui manè oriebatur, accidit, ait S. Iſidorus Peluſiota lib. I. Epiſt. 15.

IBIDEM V. 14.

Domos comedere viduarum.

Κατεσθίειν τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν.

TORQVERI poteſt in hereditatum expilatores, qui pupillos & viduas ita quodammodo deuorant, dum ſe illis auxilio fore pollicentur. Plato in hac parte longè ſapientiſſimus, pœnam talibus in ſua Repub. indixit, in extremo X. de Moribus libro. *Sunt*, inquit, *qui ad eam opinionem quòd dij ſint, & vel negligentes vel placabiles, immanes quoque fiant, hominesq́ue deſpiciant, & viuentes ad ſe multos alliciant trahántque, nec non demortuos ſe trahere conſolariq́ue dicāt, profiteantúrque ſe Deos ipſos cantibus, ſacrificijs, votiſq́ue mulcere; & hoc lenocinio conentur domos & ciuitates vniuerſas pecuniarum gratia perdere.* Dauid Pſalmo XIII. v. 4. *Qui deuorant plebem ſicut eſcam panis.* qui verſus quadrat in raptores, rerumq́ue publicarum depeculatores. Eodem ſenſu δημοβόρον βασιλῆα vocat Homerus Ἰλιάδ. α΄. *Regem populi voratorem.* Exempla ſuppeditat Ariſtoteles libro II. Oeconom.

IBID. V. 24. & LVC. XI. V. 42.

Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

Ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι.

ADHIBERI Adagium poteſt, cùm indicare volumus, ſic tractanda eſſe πάρεργα, ne neceſſaria maximè interim negligantur. Hinc Agathonis pulchrum eſt diſtichon apud Athenæum lib. V. cap. 2. & Clem. Alexand. lib. V. Stromat.

Τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον ὡς, ποιούμεθα,
Τὸ δ᾽ ἔργον, ὡς πάρεργον, ἐκπονούμεθα.
Πάρεργα nos tractamus, vt primaria,
Primarijs leuiſſimè perfungimur.

Nos pluribus, Scholijs ad Epiſtolam CVIII. Iſidori Peluſiotæ, à nobis primùm è Vaticana Biblioth. editam.

IBIDEM.

Excolare culicem, camelum autem deglutire.

Διυλίζειν τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνειν.

SYRIACE ſic legitur: *Colantes culicem, & camelum glutientes.* Hebræorum & hoc Prouerbium apparet fuiſſe, & exponit Ioan. Maldonatus Societ. noſtræ Theologus. Ductum ab vſu vina colandi, in ijs regionibus vbi magna culicum copia, deſumpta à liquidis tranſlatione. *Cameli* autem

nomi-

nomine, vt animalis vasti, magna hîc peccata & enormia absorberi significat, de quo animali & suprà Matth. cap. XIX. v. 24. illud attulimus, *Camelum per foramen acûs non transire.* Chiliastes Batauus attigit Adagium extrema Chiliade III. & Polydorus Virgilius in sacris Adagijs; & Cognatus sic: *Transmisso camelo, culex in cribro deprehensus hæsit.* Contrariũ vetus illud est apud Lucianum in Muscæ encomio: *Ex musca elephantum facere.* Vtitur autem Basilius Magnus in Fragmentis à nobis de veteri codice additis libro de Monasticis constitutionibus cap. 19.

IBIDEM V. 37.

Gallina cõgregat pullos suos sub alas.

Ὄρνις τὰ νοσσία ἑαυτῆς ἐπισυνάγει ὑπὸ τὰς πτέρυγας.

LVCAS c. XIII. v. 34. idem alijs verbis posuit: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti?* vbi est νοσσία *nidus*, Metonymicè pro pullis, seu (vt loquitur Columella) pro pullitie, sicut apud Virgilium Georg. IV. vers. 17.

— Ipsásque volantes
Ore ferunt, dulcem nidis immitibus escam.

Legitur & in Esdræ lib. IV. cap. I. v. 30. *Ita vos collegi, vt gallina pullos suos sub alas suas.* CHRISTVS verò hoc loco seipsum gallinæ confert; quo significat, se vrbem Ierosolymitanam, adeoque vniuersum populum Israëliticum, inde vsq; à prima eius vocatione ardenter amasse, vt Ierem. XXXIV. v. 3. & hîc Theophylactus, & S. Bernardus in illud Psal. XC. v. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi.* De natura autem gallinarũ eleganter Oppianus lib. III. de Venatione, v. 118. & Cicero lib. II. de Natura deorum: *Gallinæ, auésque reliquæ, &c. pullos cùm excluserint, ita tuentur, vt & pennis foueant, ne frigore lædantur.* Deus quoque apud Vatem Regium Psalmo XXXV. v. 8. *In tegmine alarum tuarum sperabunt.* Psal. LVI. v. 2. *In vmbra alarum tuarum sperabo.* vbi B. Augustinus exponit, *Tu mihi præbebis vmbraculum & protectionem.* Psal. LX. v. 5. *Protegar in velamento alarum tuarum.* vbi legendus Cassiodorus. & Psal. LXII. v. 8. *In velamento alarum tuarum sperabo.* vbi Hieronymus: *Dum adhuc moror in corpore, tua muniar protectione.* Sic Booz ad Ruth cap. II. v. 12. *Ad quem venisti, & sub cuius confugisti alas.* Gentiles quoque ad Principes, clientes suos defendẽtes, accommodarunt gallinæ picturã, sic Homerus Ἰλιάδ. ι. v. 323. & Mapheus Vegius lib. XIII. Æneid. v. 105. Contrà de ἀστοργίᾳ parentum quorumdã erga liberos, apud Plutarchum, libro de Amore sobolis: & Alphei Epigramma, quod lib. I. Anthologiæ c. 87. legitur de Medea. Affinis est similitudo de aquila, Deuter. XXXII. v. 11. *Sicut aquila prouocans ad volandũ pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas: & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.*

CAP. XXIV. V. 8.

Hæc sunt initia dolorum.

Ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων.

METAPHORA à mulieribus parturientibus sumpta est, quæ initio nuntios quosdam instantis partus dolores sentiunt; exiguos tamen, si

cum ijs cruciatibus comparētur, quos erumpente infante experiuntur. Applicabitur, cùm quæpiam res mediocriter bona alicuius magni mali indicium facere dicetur. De parturientium autem dolore infrà Ioan. capite XVI. v. 21.

IBIDEM V. 20.

Ne fiat fuga vestra hieme, neque sabbato.

Μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος, μηδὲ ἐν σαββάτῳ.

SABBATO non licuisse iter facere, nisi ad bis mille cubitos (quod vocatum est *sabbati iter*) Augustinus lib. 1. Quæst. Euang. cap. 37. Hieronymus, Chrysostomus, & Auctor Operis imperfecti in Matth. Theophylactus, Beda, & Gregorius Hom. XII. in Euang. affirmant. At cùm aliquando capta Ierosolyma sabbato fuisset, pòst decretum est, licere etiam sabbato hosti resistere; quod decretum lib. 1. Machab. cap. 11. exstat. Quadrabit Adagium, cùm auemus in rebus aduersis facilem, tutum, & minimè impeditum exitum; qualem hieme vel sabbato (quod à Iudæis superstitiosiùs æquo ante illud Machabæorum decretum obseruabatur) minimè fuisse, CHRISTVS hîc significat.

IBID. V. 28. & LVC. XVII. V. 32.

Vbicumque fuerit cadauer, ibi & aquilæ.

Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ οἱ ἀετοί.

APVD Lucam τὸ σῶμα, id est *corpus*, apud Matthæũ verò τὸ πτῶμα *cadauer* legitur, parua litterarum immutatione. Hebræum autē & hoc fuisse Prouerbium, aït ibidem Maldonatus noster, quemadmodum colligitur ex Iob cap. XXXIX. v. 33. *Vbicumque cadauer fuerit, statim adest aquila.* Sanctis autem & electis, qui iam CHRISTO fruuntur, Latini ferè interpretes attribuunt, Irenęus & Hilarius. Angelis verò Chrysostomus & Euthymius, quibus comitatus CHRISTVS in iudicium sit venturus, vt hîc Beda exponit. Vt aquilæ, vultures etiam, ex longè dissitis regionibus per nubes ad cadauer aduolant, ita pij subitò, & quidem morientia corpora per nubes in Dei occursum rapientur, & cum illo erunt perpetuò. Sic 1. Corinth. XV. v. 52. 1. Theſſ. IV. v. 17. Ioan. XII. v. 26. Simile est illud apud Senecam Epist. XCVI. *Si vultur es, cadauer exspecta.* Plinius lib. X. c. 6. *Qui,* inquit, *triduo aut biduo volant, vbi cadauera futura sunt.* & Basilius M. in Hexaëmero: *Ingenti agmine solet comitari castra militum.* Martialis lib. VI. ad Opianum captatorem:

Cuius vulturis hoc erit cadauer.

Quadrabit hoc ergo Adagium in heredipetas, quos veteres nominant *captatores*, qui orbis senibus insidiantur, quòd in cadaueribus vultures idem faciunt, quod parasiti in seruis captandis aut hereditatibus. Miluij autem nominantur, qui malum moliuntur, vt pullis gallinarum solere, suprà dixi in illud cap. XXIII. v. 37. *Gallina congregat pullos suos.* Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 282. Τὸ ἥττημα διὰ τὴν ἀκρατὸν γεῦσιν ἐγένετο, ἐκεῖ καὶ ἡ νίκη διὰ νηστείας καὶ ἐγκρατείας, ἣς ἐγεώργησεν ἡ φύσις, κατώρθωται. *Vbi ob intemperantem gustum clades extitit, illic etiã victoria per inediam & continentiam, quam natura protulit & excoluit, parta est.*

IBI-

IBIDEM V.40. & LUCÆ XVII. V.37.

Duo in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur.

Δύο ἐν τῷ ἀγρῷ· ὁ εἷς παραλαμβάνεται, καὶ ὁ εἷς ἀφίεται.

HIERONYMVS & Theophylactus exponunt, Primus eligetur & saluus erit, alter reprobabitur & peribit. *Nam cùm alij animi contentioni,* inquit S. Isidorus Pelusiota lib. I. Epistolâ 283. *ac vigilijs studeant, alij inertia & negligentia langueant, hinc fit, vt cùm Dominus in gloria veniet, illi assumendi sint, isti relinquēdi.* Idem Epist. 285. Quadrabit, cùm significabitur, inter pares non absque causa aliquid apparere discriminis, & æquè laborantes non esse eiusdem præmij participes.

IBID. V. 51. & LUC. XII. V. 46.

Partem cum hypocritis ponet.

Τὸ μέρος μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει.

PROVERBIALIS & hæc formula, qua pars pro conditione ponitur, quam nos alibi in sacrarū obseruationum Electis vberiùs explanabimus, & hac notione adhibet Propheta Regius sæpenumerò Psalmo X. v. 6. in malam partem, vt & Iob cap. XX. v. 29. *Hæc est pars hominis impij à Deo.* c. XXVII. v. 13. *apud Deum.* In bonam verò partem Psalmo XV. v. 5. & LXXII. v. 26.

CAP. XXV. V. 8.

Date nobis de oleo vestro.

Δότε ἡμῖν ἐκ τοῦ ἐλαίου ὑμῶν.

FORMVLA est alienam implorantium opem, cùm quid desit. Parabola autem admonet, fidem, qua Deum ipsum complectimur, bonis carere operibus non debere: fidem enim sine operibus mortuam Iacobus ait in Canonica Epistola.

IBIDEM V. 12.

Nescio vos.

Οὐκ οἶδα ὑμᾶς.

POSSET quispiam prouerbialiter dicere, pro eo quod est, Non curo, non magnifacio; perinde quasi quos is non norit, meritò sint negligēdi. Alius etiam huius sententiæ vsus est, vt cùm quis nolit stare conuentis, dicat, *Nescio vos*, ac si anteà nihil cum eis, vt prorsum ignotis, pactus fuisset. Quin & in Sacris litteris *cognoscere* & *nescire* pro comprobare aut improbare interdum sumitur. Sic Osee c. VIII. v. 4. *Principes exstiterunt, & non cognoui.* Sic contrà Exodi XXXIII. v. 12. Deus ad Moysen: *Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam apud me.* & Psal. I. vers. vlt. *Nouit Dominus viam iustorū.* & II. Tim. II. v. 19. *Cognouit Dominus qui sunt eius.*

IBIDEM.

Vigilate, quia nescitis diem neq; horā.

Γρηγορεῖτε, ὅτι οὐκ οἴδατε τὴν ἡμέραν οὐδὲ τὴν ὥραν.

HIC agitur de die iudicij, teste Hieronymo. *Quia ignoramus*, ait, *iudicij diem, ideò sollicitè nobis lumen bonorum operum præparemus, ne dum ignoramus, iudex veniat.* Omnis itaq; dies velut vltimus cōstituendus habēdusque est, vt Poëta canit Venusinus:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superueniet, quæ non sperabitur, hora.

IBIDEM V. 21.

Super pauca fuisti fidelis.
Ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστός.

TRALATIO ab alienorum negotiorum curam gerentibus. Prouerbium increbuit in eum, qui parua rectè functus præfectura, dignus habetur cui maior deferatur.

IBID. V. 24. & LVC. XIX. V. 21.

Metis vbi non seminasti.
Θερίζεις ὅπου οὐκ ἔσπειρας.

IN auaros adhiberi Prouerbium potest, qui alienorum fructum laborum intercipiunt. Simile illud Latinorum est: *Sub aliena arbore fructum legis.* quod est apud Liuium libro x. ab V.C. *Fabius quā arborem cōseuisset, sub ea legere alium fructum indignum esse dicebat.* Cognatum & illud Græcorum Adagium, Aristophanis quidem in Equitibus Act. 1. Scen. 3. Τἀλλότριον ἀμᾷς θέρος. *Alienam messem demetis.* Item & illud Grecorum apud Lucianum in Parasito: *Citra arationem & sementem,* Ἄσπορα καὶ ἀνήροτα, apud Chiliasten. Tale illud Maronianum, ad Augustum:

Sic vos non vobis { *nidificatis aues.* / *mellificatis apes.* / *vellera fertis oues.* / *fertis aratra boues.* }

CHRISTVS verò apud Ioannem c. IV. v. 37. *Alius,* inquit, *est qui seminat, & alius qui metit.* Vsurpari solitum de aliena occupantibus, & in vacuum venientibus. Vnde & Græci dixerunt:
Ἄλλοι μὲν σπείρουσ᾽, ἄλλοι δ᾽ αὖ ἀμήσονται.
Hic conseuit agrum, sed fruges demetit alter.

Et apud Suidam Adag. Ἄλλοι κάμον, ἄλλοι ὤναντο. *Alij laborarunt, alij fructū ceperunt.* Multa similia Chiliastes Chil. 1. Cent. v. Adag. 32. ex Liuio, Hesiodo, Theognide, & alijs: inter quæ illud Diocletiani dignū memoria: *Ego apros occido, sed alter fruitur pulpamento.* quibus nos addimus illud Poëtæ veteris in Synephebis: *Sero arbores, quæ alteri sæculo prosint.* Iob sibi ipsi imprecatur, si conscius criminis esset: *Ego serā, & alius comedat,* c. XXXI. v. 8. & Amos cap. v. v. 11. Deus tyrannis & iniustè aliena occupātibus idem minatur: *Domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantißimas, & non bibetis vinum earum.* Affinia rursum sunt: *Congregas vbi nō posuisti,* Matth. XXV. v. 26. &: *Tollis quæ non posuisti,* Lucæ XIX. v. 21. quod non modò ab Hebræis vsurpatū, vt à Moyse apud Eusebium lib. VIII. Præparat. Euang. c. 7. ex Philone de Legib. Iudæorum, verùm etiam ab Ethnicis vsitatum. In legibus quoque Solonis apud Laërtiū: Ἃ μὴ ἔθου, μὴ ἀνέλῃ. vel vt Plato lib. XI. de Legibus citauit, Ἃ μὴ κατέθου μὴ ἀνέλῃ. *Quæ non posuisti, ne tollas.* quod Soloni Atheniensiū legislatori in septem Græciæ Sapientibus dictum tributum video, exstatque vt Iudaicæ legis præceptum, etiam apud Iosephum lib. IV. Antiquit. Iudaic. cap. 8.

IBIDEM V. 32.

Segregare oues ab hœdis.
Ἀφορίζειν τὰ πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων.

DESVMPTVM ex Ezechiele c. XXXIV. v. 17. *Sicut pastor segregat oues ab hœdis.* A pastore ducta metaphora, qui gregem suum dispescit.

Oue vt nihil ſimplicius, ſic & hœdo nihil magis petulcum, vt Chryſoſtomus, Origenes, Euthymius, & Theophylactus. Significat itaq; CHRISTVS, Angelos Dei iuſtos ab impijs ſegregaturos extremo iudicij die, vt exponit & Peluſiota lib. I. Ep. 288. Affine illud Amos IX. v. 9. *Sicut concutitur in cribro.* Quemadmodum agricolæ cribro aut vannis vtuntur, vt paleas excutiāt, pura verò grana ſeruent; ita ego quoque pœnas immiſſas moderabor, vt impios tantùm vlciſcar, pios verò in medijs ærumnis tuear, ne vel pilus de capite ipſorum pereat. Luc. XXI. v. 18. De his & ſuprà c. III. Matthæi v. 12. *Ventilabrum in manu eius.*

CAP. XXVI. V. 5.

Non in die feſto.

Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ.

QVIA per eos dies vndique multitudo Ieroſolyma confluebat, & bona hominum pars CHRISTO vt Deo honorem habebat, periculum erat, vti ait Hieronymus, ſi caperetur, ne à manibus inſidiatorum eriperetur: proinde nefario negotio vſque eò ſuperſedendum exiſtimabant, dum feſti dies præterirent. Vſus ita tenet, cùm aliquis innuit, per religionem non licere aliquid agi, protinus inferat: *Non in die feſto.*

IBIDEM V. 8.

Vt quid perditio hæc?

Εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη;

ALLVSVM ad Iudæ proditoris dictum, qui ita iudicarat, vnguentum perditum eſſe, quod bona mulier in caput CHRISTI effudiſſet. In Adagij conſuetudinem venit, cùm ſignificatur ſumptus fieri magnos, ceterùm minimè neceſſarios.

IBIDEM V. 31.

Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues.

Πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα.

ORACVLVM Zachariæ Prophetæ fuit c. XIII. v. 7. de futura diſcipulorum IESV fuga; verùm poſteà eſt in Adagium verſum; quo notatur, in periculis demum apparere qui ſint veri amici. Hinc Naſo Poëta:

Cùm fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

& illud vetus dictum: *Amicus certus in re incerta cernitur.*

IBIDEM V. 41. & MARCI XIV. V. 38.

Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

Τὸ μὲν πνεῦμα, πρόθυμον· ἡ δὲ σάρξ, ἀσθενής.

CARO & ſpiritus inuicem pugnāt, ait Paulus Galat. V. v. 17. quo factum eſt, vt non quod vellet faceret, vas electionis Paulus, Romanor. VII. v. 15. In hac lucta ac pugna vigilare nos CHRISTVS & orare aſſiduè iubebat; & Iuſtinus Martyr Quæſt. CV. ad Orthodoxos, *Propter infirmitatem*, inquit, *naturæ, omnibus hominibus neceſſarium eſt precum auxilium.* In Prouerbium ceſſit, aduerſus temerarios & inſolentes, qui ſupra vires

quidpiam moliri nituntur, ac sine fine distrahuntur, penitus immemores imbecillæ naturæ.

IBIDEM V. 49.

Osculatus est Iesum Iudas.

Κατεφίλησεν τὸν Ἰησοῦν Ἰούδας.

De simulata beneuolentia dictum, qualis proditorum est officium. de quo Augusti Cæs. illud exstat dictum, frequens apud Plutarchum: *Proditionem amo, at proditorem odi.* Osculum autem Iudæ nominat prouerbialiter etiam B. Hieronymus libro III. aduersus Ruffinum, de Epiphanio: *Voluit te ad rectum iter reducere, vt Iudæ osculum non refutaret, vt proditorem frangeret patientiâ; & postquam se intellexit casso sudore laborare, nec pardum mutare varietates, nec Aethiopem pellem suam, quod mente conceperat, litteris indicasse.*

IBIDEM V. 50.

Amice, ad quid venisti?

Ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει;

Ad quid, ἐφ' ᾧ, pro *quorsum* alij interpretantur; vel sic fortasse, Quò tandem recidisti, ex discipulo proditor factus? CHRISTVS notauit Iudam proditione, per antiphrasim *amicū* appellans. Quadrabit in eum, qui minimè amicus, per speciem beneuolentiæ insidias alicui facit.

IBIDEM V. 52.

Qui gladiū acceperint, gladio peribūt.

Οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται.

Ad legem talionis pertinet, vt qui reus sit cædis, iudicis quoque manu & ipse cædatur. Sic Gen. IX. v. 6. Deus: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Hinc Apocal. XIII. v. 10. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Alia est apud Lucam allegoria de gladio c. XXII. v. 36. *Qui non habet gladium, vendat tunicā suam, & emat gladium.* Vtramq; allegoriam B. Ambrosius in Lucam scienter explicat scribens: *Cur emere gladium iubes, qui ferire prohibes? Cur habere me præcipis, quem vetas promi? nisi fortè vt sit parata defensio, non vltio necessaria: vt videar potuisse vindicari, & noluisse.*

IBIDEM V. 65.

Scidit vestimenta sua.

Διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ.

Ex multis Homeri locis in luctu solemne id fuisse constat (vt Genes. XXXVII. v. 29, 34. & XLIV. v. 13. Nu. XIV. v. 6. Iudic. XI. v. 35. I. Reg. IV. v. 12. & II. Reg. I. v. 11. & XIII. v. 19.) maximè verò ex Ἰλιάδ. χ. v. 183. in quo Priamus Hectorem F. deflet. quod etiam Virgilius imitatus est V. Æneid. v. 685.

Tum pater Aeneas humeris abscindere vestem,
Auxilióque vocare deos. —

Idem Persis commune fuisse, ostendit Herodotus in Thalia, Cambysæ mortem describens. Sic & Iudæi facere tenebantur, cùm blasphemiam audiuissent, vt Rabbini referunt, & Hieronymus hîc, vt IV. Reg. XIX. v. 1. Sic Paulus & Barnabas, quòd Lycaones sibi vt dijs honorem haberent, sciderunt tunicas suas, vt in Actis Apost. cap. XIV. v. 13. exstat.

IBIDEM V. 73.

Et tu ex illis es?

Καὶ σὺ ἐξ αὐτῶν εἶ;

HODIE in malam semper partem eiusmodi Adagio vtimur. Rectè in facinorosos homines Prouerbium torquetur, hoc est eiusdem collegij, eiusdem ordinis, eiusdem sectæ. Tractum à D. Petro negante.

IBIDEM.

Loquela tua manifestum te facit.

Ἡ λαλία σου δῆλόν σε ποιεῖ.

VT facie, inquit Plinius, homines discerni solent, sic & voce ac loquelâ. Sunt enim gentis cuiusque sua idiomata ac dialecti, quibus nullo negotio inter se distinguuntur & cognoscuntur, vt hîc ait D. Hieronymus. De *schibboleth* vel *sibboleth* notum est, quod quia pronuntiare non possent, lethale multis exstitit, Iudic. XII. v. 6. Sic & hodieque in Hispania voce *cebolla*, cepam significante, facilè agnoscunt qui exteri sint quique incolæ. Aragonenses verò in Celtiberia B. pro V. vt *bibere* ac *viuere* confundunt. Vulgò autem celebratum hoc Prouerbium, quoties vox sua quemque indicat. Aut longiùs trahi potest in eum, qui suis verbis proditur, alicuiúsve criminis conuincitur, vt è vetere verbo dici solet, *Suo indicio soricem se prodere.* & de insipientibus verè dictũ: *Stultus dum tacet, sapiens reputatur.*

CAP. XXVII. V. 3.

Pœnitentia ductus retulit argenteos.

Μεταμεληθεὶς ἀπέστρεψε ἀργύρια.

DE falsò aut non satis pœnitentibus adhiberi potest Iudæ pœnitentia, qui desperabundus laqueo vitam abrupit, crepuitque medius, Actor. I. v. 18. Hortatur ergo ad pœnitentiam constanter agendam Apostolus II. Corinth. VIII. v. 10.

IBIDEM V. 24.

Pilatus lauit manus coram populo.

Ὁ Πιλάτος ἀπενίψατο τὰς χεῖρας ἀπέναντι τοῦ ὄχλου.

SIMILIS quædam cærimonia instituitur Deut. cap. XXI. v. 6. Prouerbium in eos torqueri queat, qui cùm in culpa maximè hæreant, totum tamen negotium à se remouent, & videri innocentes volunt. Adagium autem esse, monet Suidas in Ἀθῷος, & explicat, profiteri se innocentem & alienum à malo. Ritus enim hic apud gentes, manus lauare, more innocentium. Psal. LXXII. v. 13. *Laui inter innocentes manus meas.* & Psal. XXV. v. 6. *Lauabo inter innocentes manus meas.* S. Basilius, *Idem*, inquit, *est, atque, non communicaui malis eorum.* Gentiles verò credebant, cæde perpetrata, viuo flumine elui, vt Maro II. Æneid.

Me bello è tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero. ———

& Macrobius lib. III. Saturn. cap. I. Euripides in Iphig. Taurica v. 193.

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

Mare abluit mortaliũ mala omnia. vt & notauit Triclinius Scholijs in Aiacem Lorarium Sophoclis, & Anticlides in libris Rituum, vt notat Mart. Delrius noster, ad Senecæ Tragici Herculem Furentem v. 918. Romano-

manorum autem minimè mos hic fuit lauandi manus, quo scelus abluerent, vt annotat Origenes. Pilatus itaque etsi Romanus esset, Iudæorum cærimonias apud Iudæos adhibuit, vt ex illo, quem principio assignauimus, Deuteronomij loco perspicuum est. De aqua autem lustrali, qua purgabantur homines, Polydorus Virgil. lib. IV. de Inuentoribus rerum, cap. 8.

IBIDEM V. 26.

Dimisit illis Barabbam, & CHRISTVM vt crucifigeretur tradidit.

Ἀπέλυσεν αὐτοῖς τὸ Βαραββᾶν, καὶ ΧΡΙΣΤΟΝ ἵνα σταυρωθῇ παρέδωκεν.

IVSTOS *condemnare, est impios iustificare,* ait Salomon Prou. XVII. v. 15. Iniustum hoc iudicium est, quale est, hæreticorum sectam orthodoxæ fidei anteferre. Explicat ita S. Isidorus Pelusiota Chrysostomi discipulus lib. I. Epist. 292.

IBIDEM V. 30.

Spuere in faciem.

Ἐμπτύειν εἰς τὸ πρόσωπον.

FVIT longè ignominiosum, spuere in faciem; quoniam lege sancitum erat, vt vxor relicta fratris sine liberis demortui, spueret in faciem fratris viri, si ipsam ducere vxorem negasset, vti Deuter. cap. XXV. v. 9. patet, & Numer. cap. XII. v. 14. de Maria Moysis sorore, *Si,* inquit Deus, *pater eius spuisset in faciem illius, nónne debuerat saltem septē diebus rubore suffundi?* quòd illud obiurgantis esset, vt parentes solent filios castigare. Potest torqueri in hominem contumeliosum, qui à cunctis meritò derideatur cōspuaturque.

IBIDEM V. 35. & MARC. XV. V. 24. & IOAN. XIX. V. 23.

Super vestem meam miserunt sortem.

Ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον.

PROPHETÆ Regij vaticinium est, ex Psalmo XXI. v. 19. quod impleuêre ipsi milites, qui, diuisis summis IESV vestibus, de tunica, quòd inconsutilis à summo per totum contexta esset, sortiti sunt cuius esset, vt Euthymius obseruauit. Hinc in Adagium cessit de eo, cuius res veluti multis prædæ datas, postquam diu de possessione est certatum, vnus demum, prout sors tulerit, occupat.

IBIDEM V. 64.

Nouissimus error peior priore.

Ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης.

PROVERBIALITER dicitur, cùm malefactum nouo maleficio, & scelus scelere cumulatur.

EX MARCO EVANGELISTA.

CAP. IV. V. 39.

Tace, obmutesce.

Σιώπα, πεφίμωσο.



EST silentium imperantis alicui, dum ira feruet. Hac ipsa voce imperauit CHRISTVS mari & vento, Matt. VIII. v. 23. & Lucę VIII. v. 22. quasi animata essent quæ inanima sunt. ideoque Psaltes Regius Psalmo LXXXVIII. v. 10. *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* & B. Gregorius Nazianzenus Priore in Iulianum Inuectiua, *Quis*, inquit, *procellam in auram statuit? Quis dixit mari, Tace & obmutesce? &, In te confringentur fluctus tui? atque adeò confregit, cùm haud diu intumuissent, atque inferbuissent?* De silentij autem dijs Gentilium, qui digito labia comprimebant, Harpocrate, Angerona, & Sigalione, iam in vulgus nota fabula est, & nos de bono Taciturnitatis cùm religioso tum sæcularium, libris duobus Antuerpiæ disseruimus.

CAP. VII. V. 34.

Oues non habentes pastorem.

Πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα.

QVIA Marci Adagia suo quæque loco exposuimus, nunc singularia tantùm apponemus. Ouis, vtpote animal stolidum & inerme, si certo pastore careat, seipsam regere nequit, sed in auijs hinc inde palatur, tandemque vel fame conficitur, vel à feris discerpitur. Zach. x. v. 2. *Affligentur quia non est eis pastor.* Ezech. XXXIV. v. 6. *Errauerunt greges mei in cunctis montibus.* Vnde Græcum Suidæ Prouerbium, quod Desiderius in Adagijs restituit Chil. II. Cent. VII. Adag. 26.

Προβάτων γὰρ οὐδὲν ὄφελος, ἂν ποιμὴν ἀπῇ.

Si pastor absit, non oues sunt vsui.

In Sacris admodum crebrò Prouerbij specie adducitur de quacumque ἀναρχία, vt si Ecclesia Episcopo vel idoneis Doctoribus, Matth. IX. v. 36 promiscuum vulgus Magistratu, Numeror. XXVII. v. 17. exercitus Imperatore, I. Reg. XXII. v. 17. Iudith XI. v. 15. discipuli pædagogo, vel denique familia domino destituta sit. Nam vt Clemens Alexandr. lib. I. Pædagogi cap. 4. pereleganter, *Sine pastore nec oues, nec quidquam aliud potest viuere; neque pueri sine pædagogo, nec ministri sine domino.* Ita de Nicobulo & Philoxeno est in Bacchidibus Plauti, Act. V. Scen. II.

S. *Amabo, quis has huc oueis adegit?*
N. *Oues nos vocant pessumæ.* S. *Pastor harum*
Dormit, cùm hæ eunt sic à pecu palitantes.

& infrà:

— Non vides, vt palantes
Solæ liberè grassentur? —

Lepida est ouis simplicitatis fabula, de canis esu expostulantis apud pastorem, in Xenophonte lib. II. Ἀπομνημονευμάτων. Vsurpari quoque potest in quotidiana conuersatione, de ignauia

& petulantia familiæ, cùm dominus abest, vt Columella lib. I. cap. I. Plautus Amph. I. v. 3. & Terentius in Eunuch. Act. III. Scen. V. Suidas in Σπατάλη· Οἱ μύες ἀπόντος τοῦ αἰλούρου ὀρχοῦνται. *Mures fele absente choreas ducunt.*

IBIDEM V. 52.

Cor obcæcatum.

Καρδία πεπωρωμένη.

EIVS cor obcæcatum prouerbialiter habetur, qui continenter in errore versatur, & non animaduertit quid sibi expediat. Isaias cap. VI. v. 10. *Excæca cor populi huius.* quod perinde est ac si dicat, Aufer intelligentiam. & Apostolus ad Ephesios IV. v. 18. *Alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.*

CAP. VIII. V. 24.

Video homines velut arbores.

Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους ὅτι ὡς δένδρα.

QVI viatores obuios eminus cernunt, ob locorum distantiam primo intuitu non ita distinctè internoscere possunt, num homines sint qui & ipsi moueantur, vel arbores quę immobiles suis radicibus hærent, donec aliquantò propiùs accedant, & singula pleniùs intueantur. Homo autem arbor inuersa dictus Platoni, Anaxagoræ, Democrito: & Aristoteli animans stirps est terrenus, vt in Physicis Problematis Plutarchus Quæst. I. docet, & nos suprà ad Matthæi Prouerbium illud, *Securis ad radicem.*

CAP. IX. V. 3.

Candida velut nix.

Λευκὰ ὡς χιών.

HOMERVS Ἰλιάδ. κ. v. 437. de equis Rhesi:

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὅμοιοι.

Qui candore niues anteirent, cursibus auras.

sic Maro Æneid. lib. XII. v. 85. vertit. Matron eumdem versum nunc ad bulbos, nunc ad panes detorsit, citante Athen. lib. II. Dipnos. cap. 74. & libro IV. cap. 7. in Parodia Odysseas Homericæ: itidem & Archestratus apud eumdem, de panibus, polenta, & farina Lesbia. Plutarchus quoque in lib. de Sera Numinis vindicta, vinum χιόνων λευκότερον dixit. Et Asius de luxu Samiorum apud Athenæum lib. XII. cap. 31. Catullus Epigr. XV. ad Gellium:

Hiberna fiant candidiora niue.

Claudian. in Epithal. Palladij v. 125.

— *Matura tumescit*
Virginitas, superátque niues ac lilia candor.

Anaxagoras Philosophus apud Ciceronem lib. IV. Academ. Quæst. niuem nigram dixit esse, & Galenus lib. II. de Virtute simplicium remediorum. Vtitur Greg. Palama ex Isaiæ c. I. v. 18. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Cur autem nix pelluceat, docet in Problematis Alexander Aphrodisæus. Ieremias in Threnis cap. IV. v. 7. *Candidiores Nazaræi eius niue.* Dan. VII. v. 9. *Vestimētum eius candidum quasi nix.* Psal. L. v. 9. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.*

IBIDEM V.40. & LVC.IX. VERS. 50.

Qui non est aduersum vos, pro vobis est.

Ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστιν.

SIMILE huic Adagium suprà Matthæi XII.v.30. CHRISTI de se loquẽtis: *Qui non est mecũ, contra me est.* Et Pauli illud: *Quæ conuentio* CHRISTI *cum Belial?* II.Corinth.VI.v.15. Affine & illud Cæsaris bello ciuili dictum apud Ciceronem in Orat. pro Q.Ligario: *Se eos qui contra ipsum non essent, suos putare.* cùm aduersarios putarent alij, qui non arma pro ipsis ferrent.

IBIDEM V.48.

Omnis igne salietur.

Πᾶς πυρὶ ἁλισθήσεται.

AMBIGVVM, hîc *omnis* an pro re omni accipiendum, vt Syrus hîc *omne* habet, vel an *homo* subaudiendum. Ignem hîc secundùm sensum litteralem infernalem intellige, quo omnes damnati vt sale condientur. Sic spiritus ardoris & incẽdij est apud Isaiam cap.IV.v.3.& Matth.III.v.11. qui sordes exurat nostras instar flammæ atque consumat. Vel *ignis* vocabulum doctrinam denotat, vt Ieremiæ XXIII.v.29. Theophylactus in caput IX. Marci exponit: *Omnis homo igne salietur*, hoc est probabitur. quod & Paulus dicit I. Corinth.III. v.13. *Vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.*

IBIDEM V. 49.

Omnis victima sale salietur.

Πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται.

SVBIVNGIT priori hoc Adagium translatum ex lege Moysaica Leuitic.II.v.13. quem saliendi ritum hostias Ethnici quoque sunt æmulati, vt apparet ex Plinio lib.XXXI. Nat.Hist. cap.7. *Nulla tunc sacra confici sine mola salsa.* & versibus Poëtarum. Tibullus lib.III. Eleg.IV.

—— Omina noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

Horatius lib.III. Oda XXIII.v.19.

Mollibit auersos Penateis
Farre pio, & saliente mica.

Athenio quoque in Samothracibus apud Athenæum lib.XIV.cap.93.

—— tum salem
Addunt sacrorum lege scripta, patrium
Morem tenentes.

Homerus *salem diuinũ* vocat Ἰλιάδ. α. v.214. Plato verò in Timæo θεοφιλὲς nominat sal, vel vt Plutarchus transscribit, θεοφιλέστατον, hoc est *dijs charissimum.* De salis autem inuentione Polydorus Vrbinas lib.III. de Inuent.rerum, cap.5.

IBID. & LVC.XIV. V.34.

Bonum est sal.

Καλὸν τὸ ἅλας.

SALIS supradicti est encomium. Vsurpari Prouerbio potest παραινετικῶς in illos, qui inconditè & sine circumspectione quid agunt aut loquũtur. Vnde & monet idem CHRISTVS ac subijcit: *Habete in vobis sal*, id est, prudentiam ac circumspectionem. Et addit: *Et pacem habete inter*

vos. significans, prudentiam ac circumspectionem in locutione atque actione pacis esse conciliatricem. Respicit & huc Paulus ad Coloss. IV. v. 6. dum ait: *Sermo vester semper in gratia sale sit condîtus.* Plato certè in Symposio voluminibus quosdam integris salem celebrasse testatur. sic enim Eryximachus ait: *Nuper incidi in quemdam viri sapientis libellum, qui miras salis laudes ob eiusdem vtilitatem complectebatur.* Exstat & in Hispania elegans de Sale Commentarius, ad Hispaniæ tunc Regem, Bernardini Meidis Episcopi Alcanisensis. Exstant & varia Adagia ibidem exposita, & à Chiliaste Batauo. Vide & Cælium Rhodiginum lib. VI. Antiq. Lect. c. I. *Nihil vtilius sale ac sole.* Nam cibi sale condiuntur ac sapiunt, & à putredine carnem seruant. Iob cap. VI. v. 6. *Poterit comedi insulsum, quod non est sale condîtum?* Copiosè Plutarchus lib. Symposiac. v. cap. seu quæst. 10. *Sal reliquorum obsoniorum prope obsonium est & condimentum.* Proinde Gratias ac Veneres nominant; vt sine sale esse dicant, & insulsum ac fatuũ, quod insipidum. Plinius lib. XXXI. c. 7. non semel salem commẽdat. Hinc & Comicus in Eunucho Act. III. Scen. I.

——— *Qui habet salem,*
Qui in te est. ———

IBIDEM.

Habete in vobis sal.

Ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας.

SAL hîc sapientiam denotat, vt proximè diximus, maximè in sermone, vt is, quemadmodum cibus sale, condiatur ac temperetur. quod & Paulus Coloss. hortatur cap. IV. v. 6. *Sermo vester semper in gratia sale sit condîtus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere.* Græci quoque frequenter à sale παροιμίας deriuant, vt: *Salem & mensuram ne prætereas.* Sale quoque, teste Hieronymo in Matth. cap. v. captis vrbibus aream aspergi, ac veluti solitudinem sterilitate induci, notat, vt & Deuter. XXIX. v. 23. Iudic. IX. v. 45. & Lucæ XIV. v. 35. Salsugo etiam opponitur terræ fructiferæ, vt Iob cap. XXXIX. v. 6. *Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis.* Psal. CVI. v. 34. *Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Ierem. XVII. v. 6. *Habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.*

IBIDEM.

Sal ne insulsum.

Τὸ ἅλας μὴ ἄναλον.

SI *sal euanuerit, in quo salietur?* Matth. v. v. 13. Lucæ verò c. XIV. v. 34. *In quo condietur? Insulsum* hîc vocat, pro euanido, vt & Martialis *fatuas betas* lib. XIII. Epig. XIII. Contrà verò *salem salientem* Tibullus lib. III. Eleg. IV. v. 10. De Cynicis verò apud Athenæum lib. IX. quidam dixit, ἀνεδέντων τῶν ἁλῶν πλήρεις οἱ Κυνικοί, quasi inconditi pleni salis. Apostolos CHRISTVS *salem terræ* & *lucem* nominat: quò respexit & Clemens Alexandrinus, suum informans Pædagogum lib. III. cap. 11. *Si in adyto mysticè Deum adorare conuenit, consequens fuerit proximum quoque, quem secundo loco iubemur diligere, similiter ac Deum mysticè intus amanter ac benignè alloqui, tempus redimentes.* Τὸ γὰρ ἅλας τῆς γῆς ἡμεῖς. *nos enim sal terræ sumus.* Iubet itaque CHRISTVS suos incul-

inculpatam degere vitam, ceterisque vitæ innocentiâ præire, atque doctrinâ veluti condimentum salis esse. Alioqui salem insulsum proijci, nulloque esse vsui, vt ne in agris quidem pro fimo aut sterquilinio, quòd steriles potiùs agros reddat sal, vt sæpè Plutarchus disputat in Physicis Problematis. Huc pertinet Theophylacti illud hoc loco. *Quemadmodum*, inquit, *sal carnes cohibet, nec vermes inde creari sinit; ita & sermo doctoris, si recens & mordax sit, carnales homines constringens, non sinit in ipsis generari vermem irrequietum*, τὸν ἀκοίμητον σκώληκα. De homine mobili & inconstantis doctrinæ, qui præsit velut sal inutile atque inconditum, exemplo sit Hecebolius Sophista Byzantinus, qui, testibus Socrate lib. III. Hist. Eccles. cap. 13. & Nicephoro lib. X. cap. 23. Religionem (vt hodie mali aliquot Christiani, Principis sui arbitrio commutantes, laruam nunc ponunt nunc deponunt) primùm Christianam sub Constantio Imp. professus; mox, imperante Iuliano Apostata, gentium doctrinam amplexus est; & denuò, extincto bello Persico Iuliano, Christianus iterùm factus, demum cœpit pœnitens pronus ad templi fores proculcandus iacere, & cum lacrymis miserandum in modum obtestari, vt se velut infatuatum salem calcarent, his vsus verbis: Πατήσατέ με τὸ ἅλας ἀναίσθητον.

CAP. XIII. V. 2.

Non relinquetur lapis super lapidem.

Οὐ μὴ ἀφεθῇ λίθος ἐπὶ λίθῳ.

Ab ædificiorum structura tralatio trahitur. Abijt in Prouerbium olim hæc metaphora. Ad eam respexit CHRISTVS hîc, & apud Lucam cap. XIX. v. 44. & XXI. v. 5. prædicens fore, vt Ierosolyma cum templo euerterentur à Romanis. Significat autem ruinam & excidium futurum. Porrò eo loci magna fiet labes, quo lapis super lapidem non remanserit. Quæ & de Iudæorum excidio explicat S. Isidorus Pelusiota lib. IV. Epist. 74. & 75.

IBIDEM V. 29.

In ostiis.

Ἐπὶ θύραις.

Reddvnt alij, *quod propè sit in foribus*. De ficu loquitur, qua florente, ver esse dici solet. Vsurpatur Adagij loco vulgò, *In foribus esse*, quod imminet. Sic Gen. IV. v. 7. peccatum in foribus cubare dicitur, tametsi Interpretes quidam ibi à genuino sensu planè discedant. Vulgatæ enim hic sensus est, Dei ad Cain parricidam loquentis: *Nónne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit?* hoc est, Si malè egeris, peccatum tuum, aut diuina vltio, quæ ad instar vigilis nocturni ad fores excubat, è vestigio aderit, teque ad pœnam reposcet. Est autem tralatio in voce Hebræa רבץ *rabats, cubare*, ab animantibus, leone, catulo, & asino, in Sacris litteris, quæ in limine domûs malè quiescunt ob stridorem cardinum, & egredientiũ ingredientiumque frequentiam. Affine erit vetus Adagium, *In limine impingere.* Chiliastes vult Adagialem allegoriã esse, ex illo Plutarchi, Πυρετοῦ περὶ θύρας ὄντος, *Febri ad fores existente.* Sacris in libris crebrò occurrit, Sap. VI. v. 15. *Aßidentem foribus suis inueniet.*

Chrysost. Hom. I. in I. ad Corinth. Ἡ ἡμέρα λοιπὸν ἐπὶ θύραις: *Dies eius iam adest in foribus.* Iacobi V. v 9. Ὁ κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν: *Iudex ante ianuam aßistit.* Apoc. XXX. v. 20. *Ecce sto ad ostiũ & pulso.* Quibus locis præsẽtia, celeritas, vel assiduitas indicatur.

IBIDEM V. 37.

Quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate.

Ἃ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω, Γρηγορεῖτε.

QVOTIES volueris aliquid rectè curatum, & idcircò certis hominibus præcepta agendi iure aliquo dederis, vel imposueris onus, legemque reliquis omnibus iuxtà obseruandam, appositè vsurpare poteris illud Euangelicum verbũ. Voluit hîc CHRISTVS cunctis præceptum, vt vigilarent. Sic Plato in VII. de Legibus tradit. *Somnus,* inquit, *multus nec corporibus, nec animis, nec rebus gerendis naturâ conducit.* Nemo quidem, dum dormit, alicuius pretij est, non magis quàm si non viueret. & C. Plinius in Procemio N. Hist. *vitam mortalium vigiliã* esse pronuntiat, & L. Seneca somnos vitæ adimendos in Epistolis tradit.

EX LVCA EVANGELISTA.

CAP. I. V. 3.

Diligenter ex ordine scribere.

Ἀκριβῶς καθεξῆς γράψαι.



LVCAS ad Theophilum suum mittens cùm Euangelium à se conscriptum, tum Actorum Apostolicorũ historiam, sic incipit: *Visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere.* Antiochenus enim hic & Medicus ac pictor fuit, eiusque Euangelium ceteris est tribus in narrando vberius, & Pauli ipse discipulus comesque peregrinationis exstitit. Vulgi etiam sermone vsurpamus, *Non esse secundùm Lucam,* quidquid non verè dictum factúmve pronuntiamus. Certè Actorum Apostolicorum S. Lucæ metaphrastes Arator Presbyter sic canit initio Poëmatis:

Versibus ergo canam Lucas quos rettulit Actus,
Historiamq; sequens, carmina vera loquar.

IBIDEM V. 37.

Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα.

EXPLANAVIMVS simile Prouerbiũ ad Matthæi cap. XIX. v. 16. *Omnia apud Deum poßibilia.* Latina vox *verbum* ponitur pro quouis negotio, qui Hebraismus in Sacris litteris frequens est, Exodi II. v. 14. *Quomodo palàm factum est verbum istud?*

IBIDEM V. 43.

Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?

Πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου πρός με;

NON sunt verba ignorantis aut dubitantis, sed se indignam affirmantis, vt Origenes, Ambrosius & Beda notauerunt. Consimile est illud Ruth aduersus Booz, à quo fuit perbenignè

benignè tractata, dicentis Ruth II. v. 10. *Vnde mihi hoc vt inuenirem gratiam ante oculos tuos?* Ad huncquoque modum Centurio IESV dixit Luc. VII. v. 6. *Non sum dignus vt intres sub tectum meum.* & Petrus eadem verecundia ait, Ioan. XIII. v. 6. *Domine, tu mihi lauas pedes?* idemque Apostolus Lucæ V. v. 8. *Exi à me, quia homo peccator sum.*

CAP. II. V. 49.

In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.

Ἐν τοῖς τοῦ Πατρός μου δεῖ εἶναί με.

ELEGANS sit phrasis *in his esse*, pro seriò occupari; vt & in sacrificijs illud adhibitum, HOC AGE, (vt nunc apud Christianos, SVRSVM CORDA) auctor Plutarchus in Coriolani Vita. Sic Paulus Timotheum excitans, I. Tim. IV. v. 15. *Hæc*, inquit, *meditare*, IN HIS ESTO, *vt profectus tuus manifestus sit omnibus.* Prouerbij origo ex CHRISTI nota est historia, Luc. II. v. 42.

CAP. III. V. 9.

Iam securis ad radicem.

Ἤδη καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν.

VIDE Matthæi Adagium primum.

IBIDEM V. 14.

Contenti estote stipendijs vestris.

Ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν.

MODVM sic proponit Ioannes Baptista in deserto militibus & Publicanis, ne in vectigalibus exigendis & portorijs rapinas, & illi militando prædas agerent. Pro *stipendio* autem Græcè est ὀψώνιον, quod victum tamen potiùs significat, vnde & *obsonare* Latinis. Hîc verò pro stipendio militari accipitur; quia non modò pecuniam, sed etiam cibaria militibus dabantur, id est τροφὴ καὶ γέρα siue ἆθλα, vt vocat Dion. Vnde etiam dictus est sextarius castrensis, duarum vrnarum capax, vt docet Georgius Agricola.

IBIDEM V. 16.

Non sum dignus soluere corigiam calceamentorum.

Οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων.

SANCTVS Ioannes Baptista planũ fecit, quantò esset CHRISTO inferior, quando asseruit minimè se dignum qui eius corigiam calceamentorum solueret, quod serui officium esse solet. Hodie vice Prouerbij passim vsurpatur, cùm quis significat nihil sibi assumere, sed præ se hunc vel illum arbitrari magnum esse virum, atque nobilem, siue excellentem, quod facit Apostolus dicens: *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* & Poëta Maro Æneid. I. v. 339.

— Haud equidẽ tali me dignor honore.

CAP. IV. V. 23.

Medice cura teipsum.

Ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτόν.

HOC Adagium Hebraicè sic efferri potest: *Medice sana teipsum.* Etsi origo eius ad Iudæos auctores præcipuè referatur, teste Theophylacto in Lucæ cap. IV. tamen ad Ethnicos

cos etiam persuasit, vt vetus ille senarius ostendit apud Plutarchum frequens, lib. de Discrimine adulatoris & amici, de Emolumento ex hostibus, & contra Coloten:

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Aliorum medicus, ipsemet vlceribus scatens.

Quod Gregorius Nazianzenus extulit Apologet. de Fuga in Ponto: Ἄλλους ἰατρεύειν ἐπιχειροῦντες, αὐτοὶ βρύοντες ἕλκεσιν. *Alijs mederi conantes, cùm ipsi vlceribus scateant.* Basilius M. eleganter torquet in Eunomium hæreticum libro II. Propriè autem obijcitur Medicis imperitis, qui (vt Seruius Sulpitius apud Ciceronem lib. IV. Epist. 5. loquitur) *in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt.* Æschylus Tragicus in Prometheo v. 464.

Πλανᾷς, κακὸς δ' ἰατρὸς ὥς τις, ἐς νόσον
Πεσὼν ἀθυμεῖς, καὶ σεαυτὸν οὐκ ἔχεις
Εὑρεῖν ὁποίοις φαρμάκοις ἰάσιμος.

Erras animoq; abiecto es, vt medicus malus,
Prolapsus in morbum, nec inuenire potes
Quo pharmaco reddi queas sanabilis.

Posteà impij Iudæi, vt Matthæus refert cap. XXVII. v. 42. diabolica voce CHRISTO de cruce pendenti exprobrabant, *Alios saluos fecit, seipsum saluare non potest.* Qua ratione, inquies, potero meipsum curare? Rectè scilicet proponis: hîc opus est præceptore, non equidem indocto, qui rem tanti momenti planam faciat. Is erit Socrates, qui apud Platonem in Alcibiade I. cùm quærit quid sit hominis natura, post multa argumenta concludit, oportere vt homo priùs intelligat, quid ipse sit, si velit boni Medici & curatoris officium præstare. vnde & illud Apollinis Delphici oraculum manauit Γνῶθι σεαυτὸν, *Nosce teipsum.* & B. Augustini in Soliloquijs votum ad Deum: *Nouerim me, nouerim te.*

IBIDEM V. 24.

Nemo propheta acceptus est in patria.
Οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι.

EXPOSVIMVS suprà ad Matthæi caput XIII. v. 57.

CAP. V. V. 39.

Vetus melius est vinum.
Ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιν οἶνος.

VERTVNT alij, *suauius.* Græcè est χρηστότερος, quod tam ad suauitatem, quàm ad vtilitatem siue commodum valetudinis referri potest. Theophylactus hunc locum sic explicat: *Mea quidem doctrina, vinum est nouum: vos autem cùm sitis vtres veteres, illud capere non potestis; sed vinum vetus bibentes, hoc est veterem traditionem, meam quæ noua est, non cupitis: sed dicitis, Vetus vinum, id est vetus Testamentũ, melius est.* Plautus Comicus in Prologo Casinæ: quod & Iunius inter Adagia retulit, & explanat:

Qui vtuntur vino vetere, sapientes puto.

& Naso:

Qui properant, noua musta bibant; mihi fundat auitum
Consulibus priscis condita testa merũ.

Pindarus Olympionic. Oda IX.

Αἴνει παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων.

Lauda vetus quidem vinum, flores verò hymnorum recentium.

Home-

Homerus verò Odyss. β. v. 340.

— Οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυπότοιο.

& Lucianus: Ἥδιστον καὶ παλαιότατον οἶνον. hoc est, *suauißimum ac vetustißimum vinum.* Macrobius paulò generaliùs lib. VII. cap. 12. *Vinum optimum quod vetustißimum.* Nam, vt Eubulus apud Athen. lib. I. cap. 61. testatur, *Reuerà vinum vetus, non ad voluptatem solùm, sed ad bonam valetudinem conducibilius est, quoniam cibum magis coquit, & ob partium tenuitatem facilè digeritur, vires corporis auget, sanguinem rubrum & commodè fluentem gignit, placidúmque somnũ conciliat.* Locus integer est apud Athenæum lib. I. cap. 2.

Natura hominis viniq; longè dißidet.
Homo senescens, omnibus molestus est:
Contrà, merum nobis vetustum perplacet:
Namque ille nos admordet, hoc hilares facit.

Adagium vsurpari potest de amico fido. Ita Siracides c. IX. v. 13. *Vinum,* inquit, *nouum si inueteratum fuerit, cum suauitate bibes illud.* pro quo in Vulgatis legitur v. 15. *Vinum nouum, amicus nouus; veterascet, & cum suauitate bibes illud.* Prouerb. XXVII. v. 10. *Amicum tuum & amicum patris tui ne dimiseris.* Isocrates ad Demonicum: *Hinc suadet liberis, vt opum, ita paternæ amicitiæ hereditatem adire.* Solon vnus in septem Græciæ Sapientibus apud Laërtium admonet lib. I. Φίλους μὴ ταχὺ κτῶ· οὓς δ' ἂν κτήσῃ, μὴ ἀποδοκίμαζε. *Amicos non citò parandos, quos autem paraueris, non reijciendos.* Plautus: *Quàm veterrimus homini optimus est amicus.* Vnde Cicero in Lælio: *Veterrimæ quoque amicitiæ, vt vina quæ vetustatem ferunt, debent esse suauißimæ.*

Comparationem eamdem reperias Alexim Comicum vsurpasse apud eumdem Athenæum lib. II. *Est naturâ homo vino simillimus,* &c. Idem rursus Alexis Comicus contrà sentit, risus fortasse captandi gratiâ:

Vino nihil est hominis natura simile.
Senescens ille odiosus est,
Vini autem vetustißimi maxima est gratia.
Exhilarat nos vinum, offendit ac mordet senex.

Rationes quęrunt Plutarchus in Symposiac. & ex illo Macrobius lib. VII. Saturnal. Vide Cæl. Rhodiginum libro XXVIII. cap. 37. Deinde, præter amicos, adhiberi Prouerbium potest de veterum traditionibus, à quibus non temerè recedendum. Tertiò, Dei amicitiam mundanæ præferendam. I. Ioan. cap. II. v. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

CAP. VI. V. 31.

Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.

Καθὼς θέλετε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς.

PAVCIS mutatis sic Matthæus capite VII. v. 12. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Metro sic:

Quod sibi quis nolit fieri, non inferat vlli.

Clemens Alexandr. lib. III. Strom. cap. 12. *Hoc est præceptum,* inquit, *quod omnia summatim complectitur, & admonitio ad vitam pertinens,* QVEMADMODVM VVLTIS VT FACIANT VO-

BIS HOMINES, VOS QVOQVE EIS FACITE. Gregorius Nazianzenus in Tetrastichis v. 44. Iac. Billio interprete:

Quales apud te proximos esse expetis,
Sis talis ipsis. —

Affine Tobię illud cap. IV. v. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* & Eccli. XXXI. v. 18. *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso.* Hierocles apud Stobæum Sermone LXXXIV. n. 209. *Sic cum vnoquoque agas, tamquam tu illius indueris personam, ille tuam.* Quod & Cleobuli dictum apud Laërtium lib. I. vnius in septem Græciæ Sapientibus:

Ὃ σὺ μισεῖς, ἑτέρῳ μὴ ποιήσῃς.
Quod odio habes, alij ne feceris.

& Thales Milesius ibidem:

Ὅσα νεμεσεῖς τῷ πλησίον, αὐτὰ μὴ ποίει.
Quibus de rebus proximo indignaris, ea ne facito.

Ἃ τις παθεῖν ἐχθαίρει, μὴ ποιεῖν αὐτὸν, vt Eusebius lib. VIII. Præp. Euang. cap. 7. è scripto Philonis de Exitu Iudæorum ex Ægypto allegat: siue vt Isocrates in Nicocle loquitur: *Quæ vobis ab alijs fieri ægrè fertis, eadem alijs ipsi ne feceritis.* Hanc autem sententiā Alexander Seuerus Imperator creberrimè in ore habebat. Nam vt Ælius Lampridius de ipso asserit: *Si quis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subiiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi; aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumelijs, cùm diceret: Vis ne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? Clamabátque sæpiùs, quod à quibusdam siue Iudæis siue Christianis audierat, & tenebat, idq; per præconem, cùm aliquem emendaret, dici iubebat:* QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. Quam sententiam vsque adeò dilexit, vt & in palatio & in publicis operibus præscribi iuberet.

IBIDEM V. 35.

Mutuum date, nihil inde sperantes.
Δανείζετε, μηδὲν ἀπελπίζοντες.

HOC præceptum CHRISTI in Prouerbij consuetudinem receptum, nobis obuium est, cùm significamus, inter nos gratuitò esse beneficia conferenda. CHRISTVS Matth. x. v. 8. *Gratis accepistis, gratis date.* De mutuo autem absque fœnore dando, multa Plutarchus libello singulari, de Non fœnerando, & copiosius Greg. Nyssenus Magni Basilij frater, Homilijs de Octo beatitudinibus, & alij.

IBIDEM V. 38.

Mensuram bonam, & confertam, & coagitatā, & supereffluentem dare.
Μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον, καὶ ὑπερεκχυνόμενον δοῦναι.

EPITHETA hæc omnia petita sunt ab eorum consuetudine, qui res aridas, vt frumentum vel legumina, vel aliquid eiusmodi, liberaliter metiuntur. Solent enim idipsum quod admetiuntur comprimere, deinde medium quatere, postremò etiam cumulare, adeò vt supra iustam mensuram aliquid redundet. Metaphora ergo deducitur ab ijs qui frumentum mutuati, maiore id mensura reddunt. Quæ in Adagium cessit, ad indicandum, nos debere maiora in eos conferre officia, qui nobis anteà profuerint; more agrorum fertilium, qui multò

multò plus afferunt quàm accipiunt. Nam duo sunt, teste M. Tullio Offic. I. liberalitatis genera, vnum dandi beneficium, alterum reddendi.

IBIDEM V. 39.

Numquid potest cæcus cæcum ducere?
Μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν;

SVPRA explicatum ad Matthæi caput XV. v. 14.

IBIDEM V. 44.

Arbor de fructu suo cognoscitur.
Δένδρον ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται.

VIDE suprà Matthæi c. VII. v. 16. & 18. Siracides Eccli. cap. IX. v. 24. *In manu artificum opera laudabuntur.* v. g. pictura Apellis, sigillum Scopæ, statua Polycleti. Huc pertinent similia, quibus docemur, res præclaras aliena laude non egere, sed seipsas satis commendare. vt: *Vino vendibili non est opus hedera appensa.* id est, vera virtus alieno præconio non indiget. Plautus in Pœnulo Act. I. Scen. II. v. 128, 129.

Inuendibili merci oportet vltrò emptorem adducere:
Proba merx facilem emptorē reperit.

CAP. VII. V. 47.

Cui minus remittitur, minus diligit.
Ὧι ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ.

ADAGII specie Ouidianum illud notat,

Vulgus amicitias vtilitate probat.

significans, multos amicitiam non amore, sed munere & beneficio metiri: & quò maiora accipiant, magis amare, ita volente natura, qua ad vtilitatem omni modo rapimur.

CAP. IX. V. 62.

Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.
Οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ᾽ ἄροτρον, καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, εὔθετός ἐστιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

TERTVLLIANVS de Idololatria cap. 12. *Nemo aratro manum imponens, & retrò spectans, aptus est.* Sedulius lib. I. Operis Paschal. v. 119.

— Non debet arator
Dignum opus exercens, vultum in sua terga referre.

Hesiodus lib. II. Operum v. 61.

Sollicitus rectum curet tum ducere sulcum,
Ad socios non respiciens, sed pectore toto
Incumbens operi. —

CHRISTVS Adagium vsurpat de ijs qui res suas negligenter tractarēt, suisque ipsorum commodis obsisterent, & qui Dei militiæ semel adscripti, ad sæcularia & priores curas animum conuertunt, & ad Ægypti ollas respectant. Tale illud Isaiæ cap. LVI. v. II. *Omnes in viam suam declinauerunt;* vt Lampetio monacho scribit S. Isidorus Pelusiota lib. I. Epist. 13. *At verò nunc illud de te omnium ore decantatur, te quidem salutis aratrum prompto atque alacri animo arripuisse, verùm per ignauiam ac torporem retrorsum rursus conuersum esse.* S. Basilius Monast. Constitut. cap. I. in fine: S. Augustinus lib. XVI de Ciu. Dei cap. 30. ita scribit: *Nam quò pertinet quòd prohibiti sunt, qui liberabantur, retrò respicere, nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerati*

exuimur, si vltimum iudicium euadere cogitamus? Sic sacra à magicis peracta docet Maro in Pharmaceutria, vt nefas esset retrò respicere, Ecloga VIII.

Fer cineres Amarylli foras, riuóque fluenti,
Tránsque caput iace, ne respexeris. —

ex Theocriti Idyllio XXXI.

Ἦρι δὲ συλλέξασα κόνιν, &c.

Vtitur & Aeschylus in Χοηφόροις, & Orpheus περὶ λίθων, si eius modò est; & Plautus in Mostellaria Act. II. Scena II. v. 89.

— *Caue respexeris, fuge, atque operi caput.*

Quæ verò de Saturnia lege Ang. Politianus in hoc ritu Miscellan. c. 80. annotauit, huc non pertinēt. Ad agriculturam enim (vnde hæc ducta tralatio est) idoneus non est, qui quæ à tergo sunt respicit; vt de vxore Lot, in salis commutata statuam, dictum est Gen. XIX. v. 26. & Sap. X. v. 7. Affine huic Prouerbium suprà explicatum Matth. VIII. v. 28. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* & illa II. Pet. cap. II. v 22. *Canis reuersus ad vomitum.* & ibid. *Sus lota ad volutabrum cœni.* Plinius autem lib. XVIII. Nat. Hist. c. 19. trito Romanorum Prouerbio dixit: *Arator, nisi incuruus, præuaricatur.* Quid autem *præuaricari* sit, norunt Iurisconsultorum filij, è Fabio Quinctiliano lib. XI. cap. 3. & Vlpiano Lege 212. ff. de Verb. signific. & Marciano L. I. ff. Ad Sc. Turp. Metaphorâ quoque hac non inuenustâ CHRISTVS indicat, quis idoneus sit spiritali militiæ. quod Apostolus secundâ ad Timotheum pulchrè declarat, scribens cap. II. v. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit.* Contrà igitur ille fecerat, qui secuturus præceptorem, voluit priùs visere suos domesticos. Conueniet in apostatas, vel in eos qui nullius rei ministerio operam suam ritè impendunt, aut qui de recta via declinant.

CAP. XI. V. II.

Lapidem dare pro pane.
Λίθον δοῦναι ἀντὶ ἄρτου.
Pro pisce serpentem.
Ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν.
Pro ouo scorpionem.
Ἀντὶ ᾠοῦ σκορπίον.

IN eos qui pro vtilibus noxia suppeditant. Affine est illud Prouerbium apud Chiliasten ex Athenæo lib. VII. etiam apud Suidam: *Pro perca scorpiū.*

IBIDEM V. 17.

Omne regnum in se diuisum.
Πᾶσα βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν διαμερισθεῖσα.

DE hoc suprà ad Matthæi locum cap. XII. v. 25.

IBIDEM V. 23.

Qui non est mecum, contra me est.
Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι.

SVPRA explicatum Matthæi XII. vers. 30.

IBIDEM V. 31.

Ecce plus quàm Salomon hîc.
Ἰδοὺ, πλεῖον Σολομῶντος ὧδε.

VSVRPARI potest de Regis magnificentia ac sapientia. De maiestate autem Salomonis multi multa collegerunt, quos singulari Commentario Ioan. Pineda, Soc. nostræ Theologus, diligentia ac copia superauit.

rauit. Gregorius Theologus Orat. XL. in S. Baptiſma, *Ecce*, inquit, *pluſquam Salomon hic, ſaltem apud eos qui rem perfectè conſiderant.*

CAP. XII. V. 15.

Non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt.

Οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν.

DIFFICILIORA ſunt verba quàm ſenſus, & *cuiquam* dandi caſu meliùs hîc & clariùs legi contendunt. Ita Budæus in prioribus Annotationibus in Pandectas. Lectio tamen vulgaris retinenda: hoc enim vult CHRISTVS, auctore hîc Theophylacto: *Non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt: hoc eſt, menſura vitæ nequaquā ſimul cum diuitijs vlteriùs extenditur: neque enim, qui multa poſſidet, diutiùs viuit; neque opum multitudinem, vitæ longæuitas comitatur.* Auari itaque hoc Adagio monentur, ſe nequaquam ex copia rerum & abundantia, nedum è coaceruatis auri atque argēti maſſis hanc vitam ſuſtentare, ſed omnia Dei benedictioni tribuenda eſſe. Simile eſt quod de eſcis ait D. Paulus 1. Corinth. VIII. v. 8. *Eſca nos non commendat Deo. Neque enim ſi manducauerimus, abundabimus: neque ſi non manducauerimus, deficiemus.*

IBIDEM V. 19.

Requieſce, comede, bibe, epulare.

Ἀναπαύου, φάγε, πίε, εὐφραίνου.

PASSIM vulgi ſermone prouerbialis effectus, rectè quadrabit in quoſdam, quos modis omnibus adeò delectat & capit, vt inter eos & belluas viuendo parum omnino interſit, cùm ſecundum Deum in primis Sardanapalum colant. Pro *epulare*, alij *lætare*, quia præcedit, *comede, bibe:* id qui facit, epulari dicitur. Interdum *bibere* dicunt, pro epulari: vt Gen. XLIII. v. 33. Amos IV. v. 1. Eſth. III. v. 15. & VII. v. 1. interdum *comedere*. In codicibus Græcis εὐφραίνου, quod eſt *gaude*, id eſt χαῖρε, vt Eraſmus vertit. *Viuere* autem eum dicimus, qui eſt in ſumma lætitia. Eſt autem hæc ſuiipſius compellatio Hebræis familiaris. Sic etiam apud Homerū Vlyſſes ſeipſum adhortatur his verbis Odyſſ. υ. v. 18.

Τέτλαθι δὴ κραδίη. —

Tolera vtique ô anime.

In talem auarum ac diuitem exſtat vna & item altera Homilia B. Baſilij Magni, quas hîc legendas cenſeo.

IBIDEM V. 35.

Sint lumbi præcincti.

Ἔστωσαν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι.

SCITVM hoc Euangelicum præſcribit modum rectè viuendi. Præcinctos habere lumbos, idem eſt quod paratum eſſe, vt Cyprianus lib. de Vnitate Eccleſiæ interpretatur, & lib. de Exhortat. martyrij cap. 8. lib. III. ad Quir. c. XI. & Elias III. Reg. XVIII. v. 46. accinctis lumbis currebat ante Achab; & Tobiæ filius Angelum præcinctum & quaſi paratum ad iter inuenit. Tob. V. v. 5. Petrus vt de carcere educeretur, & expeditus ad iter eſſet, iuſſus eſt ab Angelo pręcingi, Act. XII. v. 8. Hoc idem eſt quod ait D. Paulus Eph. VI. v. 14. *State ſuccincti lumbos veſtros.* & Petrus 1. Epiſt. cap. I. v. 13. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Conueniet prouerbialiter

in eos, qui vt castè viuant, ob id curant cilicia ex pilis camelorum adhibere, vt Ioannes Baptista in deserto, Matth. III. v. 12. Marci I. v. 6. Lucæ III. v. 16. *Neque aliud quidquam est præcingi*, inquit S. Isidorus Pelusiota lib. I. Ep. 9. *quàm lumborum vim tamquam vinculis quibusdam constrictam tenere*. Idem Epist. 232. *Præclarum atque commodum est, ante oborta pericula lumbos præcinctos habere*. & Epist. 341. *Hoc volunt, vt cupiditates & appetitiones nostræ vinciantur, ac mentes ad excubandum excitentur.*

IBIDEM.

Lucernæ ardentes in manibus.

Λύχνοι καιόμενοι ἐν χερσί.

LVCERNÆ operam significant, quòd ad lucernam soleamus laborare aliquid, quod posteà foris eniteat. Sic CHRISTVS, teste Ambrosio, iubet suos discipulos paratos esse ad resistendum errori, & lucernas habere in manibus accensas, hoc est, piæ ac rectæ mentis ardorem semper præ se ferre. Solent serui, cùm eorum dominus noctu venit, ardentes in manibus tenentes faces ante ipsum præcedere. Hinc schema quadrabit, cùm quempiam animo vehementi ad quoduis instructum, promptum expeditumque volumus. S. Isidorus Pelusiota libro IV. Epist. 215. *Nosse debes*, inquit, *ob hoc dixisse Saluatorem, vt virtutem exercentes, tam externam verbis prolatam, quàm internam rationem perpetuò fulgentem habeamus in anima pariter & lingua.*

IBIDEM V. 48.

Cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.

Ὧι ἐδόθη πολὺ, πολὺ ζητηθήσεται παρ' αὐτοῦ· καὶ ᾧ παρέθεντο πολὺ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτόν.

TRANSLATIO facta ab vsura, per quam plus fermè exigitur, quàm datum receptumque sit. Non esse feliciores, qui multis abundant opibus, imò sollicitudinem crescere; multosque multis inopibus, qui comedant eas, adfluere, vt sacra commemorat Scriptura. Quidam volunt dictum de ijs qui pluribus à Deo beneficijs & gratia maiore donati fuerũt, vt B. Hieronymus lib. II. contra Iouinianum, S. Macarius Homilia XXIX. Procopius in Isaiam pag. 4 initio: *Minatur etiam per Prophetas Deus, qui diuinis beneficijs luxuriosè abutuntur.* Ezechiel capite XXXIV. v. 10. *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos vt vltrà non pascant gregem, nec pascant ampliùs pastores semetipsos.* Iustinus Martyr Apolog. II. pro Christianis: Ὧι πλέον ἔδωκεν ὁ Θεὸς, πλέον καὶ ἀπαιτηθήσεται παρ' αὐτοῦ. Et Clemens Alexand. lib. III. Stromatum: Ὧι πλεῖον ἐδόθη, οὗτος καὶ ἀπαιτηθήσεται. Sic S. Chrysostomus apud Ant. Monach. lib. II. Melissæ, cap. 4. de gradibus Ecclesiasticis loquitur: *Quantò ad altius fastigium primatûs ascendit, qui Episcopi munus est sortitus, tantò maiorem reddere cogetur rationem, non modò de doctrina, & pauperum præfectura, verùm etiam de ordinationum examine,*

mine, deq; alijs infinitis. Eamdem sententiam ad Magistratum Politicum quoque pertinere, ostendit Agapetus Diaconus, qui Iustinianum Imp. his verbis affatur: *Quantò maiora diuinitus accepisti munera, tantò maiore gratitudinis aut retributionis debito ipsi es obstrictus.* Quin etiã ad œconomiam referri potest: nam ditiores, & domi suæ plures faciunt sumptus, quemadmodum Pheraulus Xenophonteus lib. VIII. Κυροπαιδ. *Quòd hæc mihi permulta sunt, inde nihil amplius lucri capio, quàm quòd plura me oportet custodire, plura alijs tribuere; & quò plura curo, eò plura sustinere negotia.* Et paulò pòst: *Necesse est eùm qui multa possidet, multos etiam impendere sumptus.* In exactionibus publicis, oneribus tantò grauioribus tentantur: quam proportionem vetustissimi Romanorum suo quoq; calculo approbarunt, vt liquet ex Oratione Seruij Tullij Regis apud Dionys. Halicarn. lib. IV. Antiq. Rom. *Iustum existimo, & Reipub. vtile, vt qui multum possident, multum conferant; parum verò, qui sunt in re tenui.*

CAP. XIV. V. 10.

Amice, ascende superiùs.

Φίλε, προσανάβηθι ἀνώτερον.

DOCVMENTVM modestiæ ex præcepto CHRISTI in Adagiũ iam olim scienter versum: sic enim constat vsuuenire, vt quò quisque est minùs ambitiosus, hoc plus consequatur honoris. Rectè itaque vmbræ gloriam comparant; quam qui apprehendere vult, amittit; & Crocodili instar esse, quod Nili animal insequentes fugit, fugientes verò deuorat.

IBIDEM V. 30.

Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.

Οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἤρξατο οἰκοδομεῖν, καὶ οὐκ ἴσχυσεν ἐκτελέσαι.

TERTVLLIANVS lib. de Idololatria cap. XII. *Malè nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus, Non habeo quo viuam. Iam hîc enim pleniùs illi abruptæ propositioni respondebo, Serò dicitur. Antè enim fuit deliberandum ex similitudine prouidentissimi ædificis illius, qui priùs sumptus operis cum viribus suis supputat, ne vbi cœperit, defunctus posteà erubescat.* Hæc Tertullianus. Adagio autem notantur homines temerarij, qui viribus suis non priùs exploratis, studium aut negotium aliquod aggrediuntur, sed ad finem perducere nequeunt, iuxta Sophoclem in Antigona, v. 91.

Ἀρχὴν δὲ θηρᾶν οὐ πρέπει τἀμήχανα.

Non inchoanda sunt, quæ nequeunt perfici.

Item in apostatas religiosarum familiarum iactari queat, qui non satis suas explorasse vires, Deique vocationem ratam non habuisse ostendunt, vt nec qui ad hæresim à fide maiorum defecerunt. Ducta autem tralatio ab ædificantibus, qui priùs, si sapiunt, suo se pede metiuntur; an sumptus tolerare, ad tectumque ædificium perducere queant. Sic apud Maronem dici posset IV. Æneid. v. 88.

— Pendent opera interrupta, minaeq;
Murorum ingentes. —

Vsitatum autem hoc dicterium ex illo

illo Hesiodio apparet libro II.

Μηδὲ δόμον ποιῶν ἀνεπίξεστον καταλείπειν,
Μήτι ἐφεζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη.

Extructure domum non imperfecta relinquas
Atria, ne sedes ibi figat garrula cornix.

Vbi sanè *cornicis* nomine intelliguntur obtrectatores, qui aliorum incogitantiam aut leuitatem dictis petulantibus incessunt, eamque omnibus deridendam propinant. Pittacus vnus in septem Græciæ Sapientibus apud Diogenem Laërtium lib. I. Ὃ μέλλεις πράττειν, μὴ προλέγε. ἀποτυχὼν γὰρ, γελασθήσῃ. *Quod facere instituis, noli prædicare: nam si facere nequiueris, rideberis.* Simile est lepidum illud de canibus ædificaturientibus exemplum apud Plutarchum, in Symposio septem Sapientum.

CAP. XV. V. 32.

Hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

Οὗτος νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησε· καὶ ἀπολωλὼς ἦν, καὶ εὑρέθη.

MORTVVS erat in peccatis: à quibus qui resipiscit, & in vitam redit, reuiuiscere dicitur. Vnde iusti *viuere* dicuntur, etiam in morte; viuit enim anima eorum: contrà peccatores *mortui* vocantur. Similiter qui in morbo cubat, vbi conualuit, viuere dicitur, vel potiùs reuixisse, iuxta illud Bilbilitani Poëtæ lib. VI. Epigr. LXX.

Non est viuere, sed valere, vita.

Dicitur autē de eo, qui repentè comparet, iam antè pro perdito habitus.

CAP. XVI. V. 3.

Fodere non valeo.

Σκάπτειν οὐκ ἰσχύω.

DE valdè anxijs de victu passim in ore vulgi est. Nam perdifficile est admodum, capere consilium quomodo viuas, si laborare nequeas, & mendicabulo circumforaneo cibum quærere pudeat. Duæ verò sunt potissimùm rationes quærendi victûs. Primus, σκάφευσις, id est, *fossio*, quæ συνεκδοχικῶς quamcumque operā mercenariam, atque omnis generis labores, complectitur, I. Thessal. IV. v. II. *Operemini manibus vestris.* & Ephes. IV. v. 27. *Magis quisque laboret operando manibus suis.* Foditur autem ligonibus terra, vt mare remis in nauigando. Secundus, πτωχεία, *mendicitas*, cibum ostiatim quærens: ad quam nemo nisi planè perfrictæ frontis animum temerè adijcit. Phocyllides:

Εἰ δέ τις οὐ δεδάηκε τέχνην, σκάπτοιτο δικέλλῃ.

Artem qui nullam didicit, tractato ligonem.

Apud Aristophanem in Auibus sycophanta quidam ijsdem pænè verbis Pisthetæro, de inhonesta sua professione reprehensus, respondet:

Τί γὰρ πάθω; σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι.
Quid aliud faciam? fossionem haud calleo.

Vbi Scholiastes addit, veterem esse hanc παροιμίαν:

Πεζῇ βαδίζω, σκάπτειν οὐκ ἐπίσταμαι.
Inambulo pedes, nam fodere nescio.

quamuis Suidas malit,

Πεζῇ βαδίζω, νεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι.
Cùm nesciam natare, inambulo pedes.

IBIDEM V. 8.

Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.

Οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι.

FILII *lucis*, pij ſunt, *ſæculi* verò huius, impij ac profani. Vt autem veſpertiliones & noctuæ acutiùs vident, nimirum in tenebris quibus aſſuetæ ſunt, quàm reliqua animalia interdiu: ſic impij perſpicaciores ſunt renatis, quantum videlicet ad curam parandi victus, & opum colligendarum. Tales depinguntur à Baruch cap. III. v. 23. & à Ieremia c. IV. v. 22. *Filij inſipientes ſunt, & vecordes: ſapientes ſunt vt faciant mala, benè autem facere neſcierunt.* Torqueri Adagium poteſt in impios atque hæreticos, acumine ingenij pollentes, quo abutantur, ſeduli nimis vt malè agant, in flagitijſque perpetrandis excellant, potius quàm vt virtutem exerceant, ac de alijs benè mereantur. Memorabile illud Pambonis monachi dictum apud Socratem Eccleſ. Hiſtoriæ c. 23. Hic enim ab Athanaſio Epiſcopo ex eremo vocatus Alexandriam, ibi cùm vidiſſet mulierem in pompa ſumptuoſiùs ornatam, vt omnium oculos ad ſe ſpectandam alliceret, lacrymas vbertim profudit. Cauſam rogatus ſubiecit, duplici de cauſa commotum ſe: primò, quòd mulier ſibi ipſi exitium pararet: deinde, quòd ipſe, Religioſus cùm eſſet, non tantum ſtudiũ Deum placandi poneret, quantum muliercula vt flagitioſis placeret hominibus. Apud Ethnicos, præſertim Philoſophos, ſimilia occurrunt: vt Diogenis Cynici apud Laërtium lib. VI. cùm videret Olympionicem veluti feram tractum oculo irretorto à ſcorto quodam. Demoſthenes quoque dolere ſe aiebat, teſte M. Tullio in IV. Tuſcul. ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria. Et Horatius libro I. Epiſt. II.

Vt iugulent homines ſurgunt de nocte latrones:

Vt teipſũ ſerues, non expergiſceris. — Græcè hîc eſt φρονιμώτεροι, pro *callidiores* magiſque vafri, quod vocabulum ſerpenti in Sacris litteris attribuitur, id eſt cacodæmoni, Gen. III. v. I. De hac aſtutia ſic Cicero I. Offic. *Scientia*, inquit, *quæ remota eſt à iuſtitia, calliditas potiùs quàm ſapientia eſt appellanda.* quod deſumptum ex Platonis Menexemo, ſeu Epitaphio.

IBIDEM V. IO.

Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori eſt.

Ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ, καὶ ἐν πολλῷ ἐστι.

AD ſententiã ſequentem, aditum ſibi parans CHRISTVS, vtitur hoc Prouerbio, quaſi pro axiomate è contrarijs, quo monemur, non modò in œconomia, hoc eſt re familiari, ſed & in politica & Eccleſiaſtica, rectè maiora ei credi poſſe, cuius anteà fides in minoribus perſpecta ſit: indefinitè enim hęc accipiẽda, vt plurimùm hæc accidere. Q. enim Fabius Maximus apud Liuium lib. XXXVIII. Annal. artem aperit hodieque aleatoribus vſitatã, qua initio vinci ſe patiuntur, vt ad aleæ luſum magis magiſque inuitent. *Fraus*, inquit, *fidem in paruis ſibi præſtruit, vt cùm operæpretium ſit, cum magna mercede fallat.*

IBIDEM.

Qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est.

Ὁ ἐν ἐλαχίστῳ ἄδικος, καὶ ἐν πολλῷ ἄδικός ἐστιν.

A CONTRARIO sensu priori respondet Adagio, vt qui paruis assueuerit, maiora committere furta ac flagitia audeat, vt de Milone Crotoniata fertur, vitulum primò, mox etiam taurum tulisse: & de puero Æsopico, qui tabellis furto sublatis, maiora deinceps suffuratus, in crucem agebatur. Lucianus: Οὐδὲ κύων παύσαιτ᾽ ἂν ἅπαξ σκυτοτραγεῖν μαθών. *Canis, qui semel didicerit edere corium, numquam desistet.* Horatius lib. II. Serm. Sat. v. v. 81.

—Penelope frugi est, quæ si semel vno
De sene gustârit, tecum partita lucellum,
Vt canis à corio numquam absterrebitur vncto.

Iuuenalis Satyra II. v. 83.

Nemo repentè fuit turpissimus. —

CAP. XVII. V. 32.

Memores estote vxoris Lot.

Μνημονεύετε τῆς γυναικὸς Λώτ.

DESVMPTVM ex historia Geneseos cap. XIX. v. 17. Sap. X. v. 7. cùm in conflagratione Sodomæ Loti vxor respiciens retrò, in salis statuam conuersa est. Quod referam verbis Sulpicij Seueri lib. I. Historiæ sacræ: *Lot ab hospitibus edoctus, perdendum oppidum, properè cum vxore & filiabus est egressus; interdictum tamen eis est, ne retrorsum conspicerent. Sed mulier parum dicto audiens (humano malo, quo ægriùs vetitis abstinetur,) reflexit oculos, statimq; in molem conuersa traditur.* Patres quoque Græci Latiniq; Prouerbium adhibent, potissimùm Augustinus in Psalmum LXXV. Tomo VIII. item de Verbis secundùm Lucam, Serm. XXIX. Tom. X. de Ciuitate Dei lib. X. cap. 8. Tom. V. & libro XIV. cap. 30. Clemens Alexandrinus in Exhortat. ad Gentes: *Nónne quodammodò, vt Niobe* (de qua Ouidius lib. VI. Metamorph.) *vel vt magis mysticè ad vos loquar, instar vxoris viri Hebræi (eum Lotum dixerunt veteres) in stuporem conuersi estis? Hanc mulierem accepimus factam esse lapidem, propterea quòd amaret Sodoma. Sodomitæ autem sunt impij, & qui adhuc in impietate versantur, duro corde & stolidi. Has voces tibi existima dici diuinitus.* Sic Alcimus Auitus lib. II. vers. 402.

— Insipido mulier prauenta reatu,
Plus salsum sine mente sapit, quæ pungere sensus
Exempliq; potest salibus condire videntes.

IBIDEM V. 37.

Vbicumque fuerit corpus.

Ὅπου τὸ σῶμα.

SVPRA explicatum ad Matthæi caput XXIV. v. 28.

CAP. XVIII. V. 12.

Ieiuno bis in Sabbato.

Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου.

HOC est, in hebdomade vel septimana. Ieiunabant autem die secundo & quinto: nam quinto die conscendit

ſcendit Moyſes montem Sinai, & ſecundo deſcendit ex eo, ideoque ſoliti ſunt ieiunare illis diebus. Pulchrè in eum vſurpatur, qui ſuperbè ac ſtultè ſua benefacta iactitat, & gloriatur fucoſa ſanctitate, ac vanitate gaudet.

CAP. XIX. V. 21.

Tollis quod non poſuiſti.

Αἴρεις ὃ οὐκ ἔθηκας.

EXPOSITVM ſuprà ad Matthæi caput XXV. v. 24.

IBIDEM V. 22.

De ore tuo te iudico.

Ἐκ τοῦ στόματός σου κρινῶ σε.

ADVERSVS eos qui ſuis ipſorum argumentis conuincuntur. Prouerb. XII. v. 13. *Propter peccata labiorum ruina proximat malo.* Vel ſuo ipſorũ iudicio aut confeſſione pereunt, vt II. Regum I. v. 16. *Sanguis tuus ſuper caput tuum,* Iob XV. v. 6. *Condemnabit te os tuum, & non ego.* Daniel. XIII. v. 55. & 59. Matth. XII. v. 37. *Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Huc alludit D. Athanaſius ſub finem Dialogi I. de Trinitate: *Deprehendetur ſeipſum condemnaſſe, vt ſeruus ille nequam, ex ſuo ipſius ore iudicatus.* Nec procul hinc diſtant Euſebius lib. XIV. Præparat. Euang. & Lactantius lib. III. cap. 28. vt & illud Comici Terentij in Adelph. Act. V. Scen. 8. *Suo ſibi hunc gladio iugulo.* Reſpexit huc & Hieronymus Epiſt. ad Magnum: *Iuxta fabulas Poëtarum ſuo ſe enſe lacerauit.* Simile ferè illud apud Trebel. Pollion. in Mario. Addidiſſe hæc verba dicitur interemptor: *Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti.*

CAP. XXI. V. 2.

Vidua mittens æra minuta duo.

Χήρα βάλλουσα δύο λεπτά.

MARCI XII. v. 48. *Vidua vna pauper miſit duo minuta, quod eſt quadrãs.* In gazophylaciũ autem mitti munera ſolere, patet ex IV. Reg. XII. v. 9. *Tulit Ioiada pontifex gazophylacium vnum, aperuitq́ foramen deſuper, & poſuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebántque in eo ſacerdotes, qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.* Laudatur hîc viduæ pauperculæ liberalitas, in anguſtia rei familiaris plus offerens quàm opulenti diuites. Vtimur hoc Prouerbio, cùm quid paruum eius exemplo offerimus, animo tamen ingenti ac liberali. Ethnicos quoque ſaniores ſic ſtatuiſſe, videmus ex verſu Heſiodi lib. I. v. 334. quem Socrates Xenophonteus lib. I. Dict. memorab. Socratis ſemel atque iterùm allegat:

Καδδύναμιν δ᾽ ἔρδειν ἱέρ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Quod poteris ſacrum dîs immortalibus offer.

Idem Xenophon lib. IV. *Lex vbique eſt, vt iuxta facultates quiſque deos ſacrificijs placet.* Et è Danaë Euripidis apud Stobæum Sermone XCVII. numer. 237. & Athenæum lib. II. Dipnoſoph. cap. 12.

— Sæpè pauperes viros
Prudentiores eſſe cerno ditibus:
Eóſque qui parua manu ſacra offerunt,
Magis pios his qui boues dijs immolant.

IBIDEM V. 18.

Capillus de capite vestro non peribit.
Θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται.

SOLET illud Euangelicum verbum rectè vsurpari, quoties quis vult innuere, aliquos benè agentes nihil inde damni esse accepturos. Nam si ne pilus quidem, qui decidens aut vilissima hominis pars est, perire potest illis qui Deo seruiunt; eò minùs corporis vel animæ detrimentum accipient.

IBIDEM V. 24.

Cadent in ore gladij.
Πεσοῦνται στόματι μαχαίρας.

TRALATIO est ab gladiorum acie. Hebræi Græcique στόμα, quòd ea parte quasi mordeat, vel sanguinem hauriat: vnde etiam *gladius anceps* dicitur à Græcis δίστομος & ἀμφίστομος. Sic & Homerus bello os tribuit, cum ostendere vellet militum corpora absorbere, hoc versu Ἰλιάδ. κ. v. 8.

Ἠέ ποθι πτολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο.
Vel alicubi belli magnum os amari.

Quòd autem *magnum* illud *os belli* esse addidit, magis adhuc auiditatem belli significauit, facultatemque immensam omnia absumendi. Cicero pro Archia Poëta: *Populi Romani laus est, vrbem amicissimam Cyzicenorum eiusdem consilio ex omni impetu Regio, ac totius belli ore & faucibus ereptam esse atque conseruatã.* vt obseruat Pet. Victorius, homo doctiss. lib. XXIX. Var. Lect. cap. 6. Figura prouerbialis in eos qui ferro pereunt, in Sacris litteris passim obuia. Moyses in Exod. cap. XVII. v. 13. *Fugauit Iosue Amalec, & populũ eius, in ore gladij.* Sic CHRISTVS prædixit illam ingentem stragem Iudæorum, quæ à Romanis tempore obsidionis Ierosolymorum facta est: nam, teste Iosepho lib. de Bello Iudaico VII. cap. 18. vndecies centena hominum millia periere.

CAP. XXIII. V. 12.

Facti sunt amici Pilatus & Herodes.
Ἐγένοντο φίλοι ὅ, τε Πιλάτος καὶ ὁ Ἡρώδης.

PROVERBII specie hodieque dicimus, cùm homines improbi post mutuas dissensiones in gratiam redeunt, vt veram doctrinam de CHRISTO, vel pia eius membra, coniunctis viribus tantò vehementiùs oppugnare possint. Simile Adagium, *Sampsonis vulpeculæ.* Causa autem inimicitię: Pilatus paulò anteà seditiosos quosdam Galilæos in ipso Sacrorum apparatu subitò oppresserat atque interfecerat, Lucæ XIII. v. 1. quo facto Herodes Tetrarcha non leuiter fuerat exacerbatus; quippe qui sibi ordinariam causarum omnium cognitionem in vniuersa Galilęa iure vindicarat, Luc. III. v. 1. & cap. XXIII. v. 6, 7. Simile & illud vulgò vsitatum, *Ab Herode ad Pilatum,* cùm à iudice iniusto ad alium iniustiorẽ remittuntur, vel alioqui modò hunc modò illũ conuenire iubentur.

IBIDEM V. 21.

Crucifige, crucifige.
Σταύρωσον, σταύρωσον.

FVNESTA hæc populi Iudaici conclamatio in Prouerbium venit, cùm quis publicè ad mortem petitur, vel cùm à quopiam iudicium præcipitanter

tanter fieri innuitur, quòd priùs condemnet, quàm causam rei cognoscat. Hieronymus in Proœmio XVII. libri Commentariorum in Isaiam, consimiliter vice Prouerbij vsurpat: hodieque verè in Politicos iactatur, qui, cùm de politicismo agitur, (quam *status rationem* vulgò nominant) VIVAT REX in ore semper habent; at cùm de CHRISTO eiusque ministris ac Sacerdotibus sermo est, CRVCIFIGE inclamant.

IBIDEM V. 31.

Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται;

THEOPHYLACTVS hîc: *Si in me talia fecerunt Romani, in me* inquam *ligno humido, feraci, & semper virenti, ac semper viuo propter Deitatem, & per doctrinas fructuum meorum alente omnes: in vobis, populo inquam arido, sterili ab omni iustitia viuifica, & nullum fructum afferente, quid non facient? Si enim vitalem quamdã vim, vel operationem boni haberetis, digni fortasse videri poteratis, quibus quodammodò parceretur: nunc autem quasi lignum aridum in combustionem & perditionem eritis.* Genuinus itaque horum verborum sensus est: Si ego innocens tam horrendos cruciatus perferre cogor; quid de vobis, atque vniuersa gente Iudaica futurum censetis? quæ detestanda sua ingratitudine, & nefaria scelerum colluuie, iamdudum iram Numinis in se concitauit? Potest etiam accommodari ad hunc Pauli locum Rom. XI. v. 21. *Si Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat.* Item sic: Si iusti in hac vita affliguntur, quantò magis impij, vt argumentatur Salomon Prouerb. XI. v. 31. & ab illo Petrus I. Epist. cap. IV. v. 17. *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Tale & illud Comici in Andria Act. I. Scen. I.

— Hic paruæ consuetudinis
Causa, mortem huius tam fert familiariter:
Quid, si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

Ad quem locum respexit M. Tullius lib. IX. Epist. 7. ad Famil. Hac prouerbiali allegoria vti solemus, quoties volumus significare, ex euentu difficilioris rei quidpiam mox facilius esse futurum.

CAP. XXIV. V. 18.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem?

Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλήμ;

LATINE etiamnum dicitur *hospes* quis ac peregrinus in re aliqua quã ignorat, quòd ceteri illic norint. Peregrinantes enim cùm nusquam figant sedem, nec amicos parent, nec cognitionem acquirunt vrbis quà transeunt. Sic Cicero pro Milone: *An verò vos soli ignoratis, vos hospites in hac vrbe versamini, vestræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis sermone versantur.* Iactatur in ignorãtes. Affine illud Ioan. III. v. 10. CHRISTI ad Nicodemum: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?*

IBIDEM V. 25.

O stulti & tardi corde.

Ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ.

IN eos qui tardè omnia credunt, ingenioque hebetiori sunt, congruet.

IBIDEM V. 28.

Finxit se longiùs ire.

Προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι.

HOc Euangelicum verbũ in Prouerbij consuetudinem iam venit, in eum qui de industria conniuet ad aliquid, valdeque dissimulat quod minimè eo clam est. *Mane nobiscum*, inquiunt discipuli, *quoniam aduesperascit*, versu sic redditum:

Vespera iam venit, nobiscum, ô
CHRISTE, *maneto.*

EX IOANNE EVANGELISTA.

CAP. I. V. 5.

Lux in tenebris lucet.

Τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει.



VSVS Adagij est, cùm quis locum obscurum patriamque non celebrem colit, vbi sua virtute velut inter rudiores imperitioresque nihil splendoris referat, vel contrà eò plus niteat, quòd solus inter idiotas sit doctus, quemadmodum lux in tenebris longè magis fulget. Danielis c.XII.v.3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiã erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Iob XVII.v.12. *Post tenebras spero lucem.* Affine est vetus illud, *Inter pygmæos regnat nanus.* quòd illi populi sint statura admodum breui. &, *Inter cæcos strabus Rex est.*

IBID. V. 27. & MARC. I. V. 7. & LVCÆ III. V. 16.

Non dignus vt soluam eius corigiam calceamenti.

Οὐκ ἄξιος ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος.

SIGNIFICAT Ioannes animi demissione, indignum se, qui tanto viro vel abiectissimum obsequij genus præstet; tantum abesse, vt cum ipso conferri debeat.

IBIDEM V. 46.

A Nazareth quid boni?

Ἐκ Ναζαρὲθ τί ἀγαθόν;

IOANNES Maldonatus duplicem adfert sensum, siue dubitantis, siue admirantis. Sunt qui statuant, hanc formulam loquendi, ob notoriam Nazarenorum malitiam, iam anteà in Prouerbium vulgi abiisse, vnde Nathanaël illud repetere voluerit. Apparet itaque Nazareth infamem vicum tunc fuisse, aut vilem & exiguum, vt ne vir quidem clarus inde prodierit, nedum Messias, vnde Ioannis VII. v. 52. Nicodemus ait: *Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit.* CHRISTVS autem in crucis titulo, *Nazarenus Rex Iudæorum* dictus; & per contumeliam à Iuliano Apostata, vt hodieque à Turcis Christiani *Galilæi* vocantur. Vsus etiamnum Prouerbij, cùm in personis aut mercibus aliunde aduectis, ignobilitatem loci cauillantur: *Quid boni inde adferri potest?*

IBI-

IBIDEM V.47.

Veni & vide.

Ἔρχου καὶ ἴδε.

HIs verbis inuitauit Philippus Nathanaëlem, vt ad CHRISTVM veniat,& vtrùm vera sint,quæ illi narrauerit,experiatur, arripiens ex eius dubitatione occasionem. Profanus aliquis verbis Socratis diceret: Ἕπου καὶ μάνθανε, vt refert Diog. Laërtius lib.II. in Vita Xenoph. & Naso lib.XIII. Metamorph.v.826.

— *Præsens potes ipse videre.*

CAP.III. V. 6.

Ex carne caro.

Ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ.

ID est, ex carnali carnalis nascitur: Hebræi enim appellatiua pro adiectiuis sæpè vsurpant, & Theophylactus hîc. Sic Rom.VIII.v.6. *Prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus vita, & pax. quoniam sapientia carnis inimica est Deo.* Et I.Cor.XV. v.50. *Caro & sanguis regnum Dei poßidere non possunt.* Prouerbiali itaque sermone ad illud respexit quod vulgò iactatur, *Caro dat tibi carnis*, vt Grammatici loquuntur; siue cum Aristotele dicere mauis, *Simile generat sibi simile.* nimirum, vt alibi Saluator Matth.XII.v.34. *Ex abundantia cordis os loquitur.* & Matth.VII.v.16. *Numquid colligunt ex spinis vuas?* significans, perrarò contingere,quin vitioso semel contracto habitu consimilis etiam subsequatur effectus,consuetudine iam in naturam versa.

IBIDEM V. 8.

Spiritus vbi vult spirat.

Τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ.

SPIRITVS vox πολύσημος est. vnde & *ventum* hîc quidam pro spiritu transtulerunt, vt & Aristoteles lib. de Mundo ad Alexandrum.& τὸ πνεῦμα hîc *ventum* plerique veterum Theologorum exponunt,vt Chrysostomus Hom.XXV. in Ioan. Cyrillus, Theophylactus, August. de Quæst. vet. & noui Test.quæst.LIX. si eius modò est opus. Idque manifestè probat, quod de sonitu mox subijcit; at Didymi est regula,l.III. de Spiritu sancto, πνεῦμα hîc pro Spiritu sancto accipientis,vt & Origenes, Ammonius, & Elias Cretensis in Nazianzeni Orat. de Spiritu sancto exponunt. *Spiritus* quoque pro aëre capitur, qui pugno colligi non potest, Eccli.XXXIV.v.2. *Quasi qui apprehendit vmbram,& persequitur ventum*, scilicet vt eum comprehendat & teneat, vt Prouerb.XXVII.v.16. vt de re impossibili dixit, *ventum tenere manu.* Celebris fuit olim Adagio apud Suidam, δικτύῳ ἄνεμον θηρᾷς, *ventum reti venaris*, de frustrà laborantibus. Adagium autem significabit, cùm notatur, eò fauorem hominis efficaciùs se inclinare, quò voluntas ducit. Tralatio autem est à vento, qui est minimè aspectabilis, ceterùm efficax, & spirat vbi vult, id est naturæ impulsu huc vel illuc fertur.

IBIDEM V.10.

Tu magister in Israel, & hæc ignoras?

Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραήλ, καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις;

QVADRABIT, cùm quis ea quę inprimis profitetur, minimè tenet.

Simile

Simile illud Lucæ XXIV. v. 18. *Tu solus peregrinus es in Ierusalem.* Augustinus, & ex eo Beda, ideò hæc dixisse ait, vt Nicodemum humiliorem redderet, & proinde ad res diuinas intelligendas magis idoneum, & vt re ipsa doceret, qua ratione ex spiritu nasci posset.

IBIDEM V. 20.

Omnis qui malè agit, odit lucem.

Πᾶς ὁ φαῦλα πράσσων, μισεῖ τὸ φῶς.

IVVENCVS lib. II. v. 239.

— Quicumque malis vitam maculauerit actis,
Ad tenebras pauidas refugit, ne lumine claro
Sordida pollutæ pateant contagia mentis.

Propheta Iob cap. XXIV. v. 14. *Manè primo consurgit homicida,* &c. Egregiè Tertullianus lucifugos hos depingit Apologet. Aduersus gentes, cap. I. *Quod verè malum est, ne ipsi quidem, quos rapit, defendere pro bono audent. Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit. Denique malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facilè aut semper confitentur, certè damnati mœrent,* &c. *Nolũt enim suum esse, quia malum agnoscunt.* Apud Stobæum Serm. VI. è libello Plutarchi Contra voluptatem: Ἅπασα κακία ὁρᾶσθαι γυμνὴ φυλάττεται. *Vnumquodque crimen nudum conspici cauet.* Et paulò pòst è Musonio de impudicis, *Vel conari,* inquit, *vt lateant quæ quis agat, est fatentis se peccare.* Bion eadem apud eumdem Stobæum Serm. LXIII. & Clemens Alexandr. lib. III. Strom. *Carpocratianos,* ait, *sub specie religionis instituisse nefarios congressus, amoto lumine, quippe quòd fornicatoriam hanc ipsorum iustitiam pudore afficeret.* Et Plato in Philebo: *Libidines occultatas optamus, imò ad tenebras noctis amandamus: quasi indecorum sit, lucem huiusmodi res conspicari.* Ouidius lib. X. Metamorph. v. 454.

—Tenebræ minuũt noxq́; atra pudorẽ.

Tacitus lib. XIV. *Quod perditissimus quisque per diem concupiuerit, per tenebras audet.*

IBIDEM V. 21.

Qui facit veritatem, venit ad lucem.

Ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς.

VERITATEM Hebræi vocant *opus iustum ac rectũ,* & Hebræa phrasis, *facere veritatem,* hoc est opus veritatis, vt explicat Fulgentius ad Monimum lib. II. Tob. IV. v. 9. Ποιοῦντός σου τὴν ἀλήθειαν, vt in LXX. legitur, quod Cyprianus lib. III. ad Quirinũ, Serm. I. de Eleëmosyna interpretatur, *agente te ex veritate,* id est verè, integrè, sincerè. I. Ioan. I. c. 6. *Si dixerimus quoniã societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.* hoc est, non agimus sincerè. Lucem autem cum veritate coniunxit, quia lux veritatem declarat, & quid falsum sit luce cognoscimus. Sic & Dauid coniunxit Psal. XLII. v. 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Ex quo Apostolus ait Ephes. V. v. 9. *Fructus enim lucis est, in omni bonitate, & iustitia, & veritate.* Iuuencus lib. II. v. 242.

— Quicumq; piæ tenuit vestigia vitæ,
Ad medium properat, lucémque nitescere gaudet,
Splẽdeat vt claris virtutis gloria factis.

Ada-

Adagium hoc ſententiam priori contrariam continet, de hominibus pijs, qui bonis operibus, quæ hîc vocat *opera in Deo facta*, & conſcientiâ freti, nihil clanculùm, ſed palàm agunt. Euripides in Iphigenia in Tauris verſu 1026. vtrumque Prouerbium ſic coniunxit:

Κλεπτῶν γὰρ ἡ νύξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς.

Nox furibus, lux veritati conuenit. Et Cicero lib. III. Offic. *Honeſta bonis viris non occulta quæruntur.* Sophocles Electra v. 1497.

— Πῶς, τὸ δ' εἰ καλὸν
Τοὔργον, σκότου δεῖ; ———
— *Si factum eſt bonum,*
Quorſum tenebris opus eſt? —

Stobæus Serm. VI. è lib. Plutarchi Contra voluptatem: *Nemo honeſtis actionibus caliginem obtendit, lucem charum teſtem reformidans. Imò totum mundum, ſolem eſſe optaret erga ea quæ præclarè agit.*

IBIDEM V. 31.

Qui de terra eſt, de terra loquitur.

Ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ.

SIGNIFICAT humilem & abiectum.

IBIDEM V. 34.

Non ad menſurā dat Deus ſpiritum.

Οὐκ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα.

HABERE *ad menſuram ſpiritum*, eſt vnum eumdemque hominem non totum habere ſpiritū. Vertitur in Prouerbium, cùm ſignificamus, hunc plus ſapere quàm illum: id eſt, dona Dei largiter benè multis, non item omnibus dari, cuiuſmodi ſunt animorum virtutes, quas Paulus narrat 1. Corinth. XII. v. 8. *Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundùm eumdem Spiritum.*

CAP. IV. V. 9.

Non coütuntur Iudæi Samaritanis.

Οὐ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις.

NEC Samaritani Iudæis: quin obuijs dicebant, *Ne attingite*, pollui ſe exiſtimantes, ſi vel Iudæum vel gentilem attingerent. Prohibuerat enim Deus Deut. VII. v. 1. ne cum illis inirent fœdus. Odium ex religione natum: nam Samaritani reijciebant Prophetas; adhæc negabant Reſurrectionem, animam vnà cum corpore mori credentes. Sic Chriſtiani Petrum increpantes dicebant: *Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Act. XI. v. 3. Eadem de re Petrus eſt à Paulo reprehenſus Gal. II. v. 12. *Prius quàm venirent quidam à Iacobo, cum gentilibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant.* Paſſim hodie Samaritanæ reſponſum Prouerbio iactatur, cùm alij odij perpetui causâ, aliorum aditum ſermonemque defugiunt.

IBIDEM V. 19.

Propheta es tu.

Προφήτης εἶ σύ.

IN eum vſurpare ſolemus, qui nobis facta noſtra occultiora, ac ſi prius nouiſſet, non obſcurè patefacit: vel qui aliquid futurum vaticinatur, quod mox euenit, vt planè diuinare videatur.

IBIDEM V. 32.

Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.

Ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν, ἣν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.

SPECIEM Adagij præ se fert, quo vti licebit, quoties aliquis vult significare reconditum aliquod gaudium negotij, seu rei vulgò incognitæ. Consideratur enim in hac metaphora iuxta Doctoris Estij sententiam in Annotat. Bibl. non cibi nutritio, sed oblectatio. Quo sensu etiam Latinè dicetur *pascere oculos*, qui cum voluptate rem aliquam speculatur. Et apud Poëtam, *In sinu gaudere, sibiq; plaudere.*

IBIDEM V. 37.

Alius seminat, alius metit.

Ἄλλος σπείρων, ἄλλος θερίζων.

VIDE quæ notaui ad caput XXV. Matthæi v. 24. His addo Nonni Panopolitani illud cap. IV. Ioannis vers. 187.

——— Οὕνεκεν ἀνὴρ
Ἄλλος ἀροτρεὺς σπόρον ὅμπνιον αὔλακι νείφων,
Καὶ στάχυν ἀμήσει στεφανηφόρος ἄλλος ἀλωεύς.

Quod vir alius arat semen Cereale in sulcos spargens, & spicam demetet alius triturator coronam gerens.

Plautus Epidico Act. II. Scen. II.

Mihi istic nec seritur nec metitur.

& Mercatore Act. I. Scen. I.

Tibi aras, tibi occas; tibi seris, tibi eidem metis;
Tibi denique iste pariet lætitiam labos.

Quod olim etiam ab Augusti militibus factum legimus, quibus in distributione Cremonensis agri, Mantuanus quoque accessit. Vnde Maronianum illud Ecloga I. v. 71.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit,
Barbarus has segetes? en quò discordia ciues
Perduxit miseros, en quîs conseuimus agros?

CAP. VI. V. 12.

Colligite quæ superauerunt fragmenta.

Συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα.

RES nota ex his Euangelistarum locis Matth. XIV. v. 19. Mar. VI. v. 39. Lucæ IX. v. 16. Ioan. VI. v. 11. Adhiberi Prouerbium potest, ne veterum fragmenta intercidere patiamur, sed ad posteritatẽ propagemus; vel vt eruditorum virorum scripta diligenter colligamus, quamuis non omnino absoluta vel elaborata.

CAP. VII. V. 24.

Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.

Μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε.

NE sis προσωπολήπτης, Deut. I. v. 16. Transfertur ad quoscumque censores iniquos, vt commonefiant, nequaquam personas aut externam speciem, sed rem ipsam per se expendendam, atque inde iudicandam esse. Sic Leuit. cap. XIX. v. 15. Moyses: *Non consideres personam pauperis,* nec

nec honores vultus potentis. Iustè iudica proximo tuo. I. Regum XVI. v. 7. Chaldæi sic efferunt: *Ne spectes cantharum vel vrceum, sed id quod in eo est.* Ecclesiastici XI. v. 2. ita Siracides: *Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu.*

CAP. VIII. V. 32.

Veritas liberabit.

Ἀλήθεια ἐλευθερώσει.

VICE Prouerbij vulgatum, cùm volumus innuere, soli innocentiæ, cuius tam amator quàm tutor est Deus, esse confidendum. Plura ad rem pertinentia Maldonatus noster.

CAP. IX. V. 23.

Ætatem habet.

Ἡλικίαν ἔχει.

VBI aliquis id ætatis esse dicitur, qui iam pro suo iure sumat, vt agat quod velit, quæque expetenda fugiendáve sint, delectum habeat, commodè de eo repetetur.

CAP. X. V. I.

Qui non intrat per ostium, fur est & latro.

Ὁ μὴ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας, κλέπτης ἐστὶ καὶ λῃστής.

APPLICATVR ad Pseudoprophetas, qui regia non gradiuntur via, & veram & vnicam salutis semitam declinant; vt qui parietes perfodiunt, fures sunt, Matth. XXIV. v. 23. vel per fenestras clanculùm irrepunt, Ioel. II. vers. 9. Quod & hæretici solent, qui aliâ viâ ingrediuntur stabulum ouium.

IBIDEM V. II.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus.

Ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων.

POTEST generatim ad omnes referri, qui alicuius rei curam habent, non idcircò tamen vt vitam posthabeant, sed vt modis omnibus suum officium faciant.

IBIDEM.

Mercenarius fugit, quia mercenarius est.

Ὁ μισθωτὸς φεύγει, ὅτι μισθωτός ἐστι.

MERCENARIVS est, qui operas vendit & locat. quod idem pollet, ac si diceret: Ne quidquam ab alio exspectes, quod per te facere possis: quia vnusquisque modis omnibus sua quàm aliena studiosiùs curat, & sibi rectè mauult quàm alteri. Vtemur metaphora perappositè in eum, cui significamus nihil pretio esse potius. Rectè Gregorius hunc locum explicat Homil. XIV. in Euang. *Sola causa est vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est; ac si apertè diceretur, stare in periculo ouium non potest, qui in eo, quòd ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat.*

IBIDEM V. 14.

Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.

Γινώσκω τὰ ἐμὰ πρόβατα, καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν.

CVM quispiam voluerit non inscienter innuere, se intus, & in cute, suorum mores noscere, item suos ab illis non ignorari, appositè hac Euangelica parabola vtetur. Sic enim pastor & oues inter se noscunt.

IBIDEM V. 16.

Vnus pastor, & vnum ouile.

Εἷς ποιμὴν, καὶ μία ποίμνη.

PROVERBIALI metaphora dicitur, cùm omnes parent vni, & diligenter diuisa sunt munia, vt vnusquisque suas agat partes; vtputa cùm inter Christianos nullum est schisma, nec in Republica seditio; sed suo Pontifici Sacerdotes ritè parent, & populus sui Regis dicto audiens est.

IBIDEM V. 38.

Operibus credite.

Τοῖς ἔργοις πιστεύσατε.

IN celebri Prouerbio est, cùm volunt innuere, secundùm factum suum, vnumquemque aut bonum aut malum existimandum esse.

CAP. XI. V. 9.

Nónne duodecim sunt horæ diei?

Οὐχὶ δώδεκά εἰσιν ὧραι τῆς ἡμέρας;

PVTAT hîc Nicol. Lyranus, Prouerbium apud Hebræos fuisse, quale nunc apud multos vulgò est, cùm significare volunt, posse alio fieri tempore, quod alio fieri non potuit. Quę res locum etiam Prouerbio fecit, quo significatur, non esse desperandum, si quid aduersi contingat; neque prosperitate successuum gaudendum, cùm puncto temporis alterius sortis interdum momenta fiant. Affine illi vetus illud: *Nondum omnes soles occiderunt.* & Salomonis illud in Eccles. III. v. I. *Omnia tempus habent.* Quæ Adagia accommodantur ad opportunitatem temporis, quæ in quocumque negotio plurimum habet momenti, vt Pindarus ait Pythiorum Oda IX.

Ὁ καιρὸς παντὸς ἔχει κορυφάν.

Eamdem gnomen Græcè exprimere possumus verbis Theocriti Idyllio VII. v. 62.

— Ὥρια πάντα φέροιτο.

Latinè è Plinio lib. XVIII. Nat. Hist. cap. 6. *Suo quæque tempore facienda.* Tertullianus denique de Velandis Virg. cap. 1. de Monogamia cap. 3. & lib. V. aduer. Marcionem cap. 4. *Tempus,* inquit, *omni rei.*

IBIDEM V. 10.

Si quis ambulauerit in nocte, offendit.

Ἐάν τις περιπατῇ ἐν τῇ νυκτὶ, προσκόπτει.

PROVERBIO monet, non nisi perpensis rationum causarumque in re quaque momentis, rem quampiam esse aggrediendam, ni seræ pœnitentiæ vecordiæ pœnas dare velis. Vnde Siracides Eccli. XXXII. v. 24. *Fili,* inquit, *sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.*

CAP.XII. V.24.

Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert.

Ἐὰν ὁ κόκκος τοῦ σίτου ἀποθάνῃ, πολὺν καρπὸν φέρει.

ECCLESIA Catholica hodie Martyrij athletis, vt B. Laurentio, hæc accommodat, & meritò quidem. Potest hoc etiam prouerbiali sermone notari auarus, qui viuens prodest nemini, mortuus verò pluribus, partitis inter heredes gaudentes opibus, quibus demens ille vti formidarat. Quàobrem festiuè Pius II. Pont. Max. porco comparabat auarum, qui dum viuit, vtpote lana destitutus, vsibus humanis inutilis exsistit. Ad eumdem modum auarus lanam munificentiæ non præbens, vt oues solent, benignè facit, nisi mortuus, nemini.

IBIDEM V.35.

Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.

Ὁ περιπατῶν ἐν τῇ σκοτίᾳ, οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει.

QVI eò audaciæ vel cæcitatis potiùs deuênit, vt negotium aliquod non dubitanter aggrediatur, quod minimè scit gerere, vel id artis profiteri audeat, cuius sit penitus ignarus, is ambulare in tenebris, ac nescire quò vadat, prouerbiali figura rectè dicitur. Et ab ijs petita esse videtur translatio, qui facilè aberrant, si dum luna silet, id est non lucet, noctu iter faciant.

CAP.XV. V.XV.

Seruus nescit quid faciat dominus eius.

Ὁ δοῦλος οὐκ οἶδε τί ποιεῖ αὐτοῦ ὁ κύριος.

SIGNVM veræ amicitiæ est, si amicus cum amico consilia sua communicet, id quod cum seruo, qui vt plurimùm futilis est, faciendum non censetur. Ex hoc facile est noscere, CHRISTVM habuisse suos discipulos pro amicis, non pro seruis, qui facerent quod ille præcepisset, cùm ait: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Vnde ortum Prouerbium ad documentum domini, vt famulo suo res arcanas ne credat, cùm sæpè vsuueniat, vt seruus minima de re temerè concitatus, virus pestemque aliquam in domini caput euomat.

IBIDEM V.25.

Oderunt gratis.

Ἐμίσησαν δωρεάν.

ADAGIVM insinuat summam animi malitiam & ingratitudinem eorum, qui magnis beneficijs affecti, patronis maleficia, sola animi peruersitate stimulante, rependunt: quales Scribas & Pharisæos, multosque è Iudaica, adeoque sua gente, extitisse significat. Quod etiam Psalmista Psal. XXIV. v. 19. olim hostibus suis obiecit, cuius totidem verbis vsus est contra ingratos Iudęos hîc CHRISTVS. Vide & B. Isidori Pelusiotæ lib. IV. Epist. 220.

CAP.XVI. V.20.

Tristitia vestra vertetur in gaudium.

Ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται.

SENTENTIAM hanc cuncti passim loco Prouerbij in ore habent, cùm volunt significare, è re tristi futurum felicem successum. Sanctos in hac vita aduersis, iniquos prosperis rebus vti, multis locis Scriptura docet, & L.Seneca singulari libello de Prouidentia, siue, Cur bonis viris mala fiant; in quem M. Ant. Muretus egregiè præfatur.

IBIDEM V. 21.

Mulier cùm parit, tristitiam habet.

Ἡ γυνὴ ὅταν τίκτῃ, λύπην ἔχει.

VTEMVR, cùm indicare volumus, aliquod opus primò esse laboriosum, sed deinde perfectũ, iucundum atque vtile futurum. Sic mulier, nato iam puero, omnis immemor doloris gaudet, & delectatur fructu ventris sui. Vehementes itaque dolores doloribus parturientiũ comparare Scriptura solet, vt Psal.XLI.v.7. *Ibi dolores vt parturientis.* & Eccl.c.XXXIV. v.6. *Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur.* & c.XLVIII.v.21. *Doluerunt quasi parturientes mulieres.* & Isaiæ XIII. v.8. *Quasi parturiens.* Ierem. IV. v.31. *Vocem quasi parturientis audiui* & cap.VI.v.24. *Audiuimus dolores vt parturientium.* & c.XXIV.v.22, 23.c.XXX.v.6.c.XLVIII. v.41. & cap.L.v.43. Osee XIII.v.13. Michææ cap.IV. v.9. *Comprehendit te dolor sicut parturientem.* Similiter & B. Paulus volens ostendere dolores eorum qui in extremi iudicij die imparati inuenientur, ait I.Thess.v.v.3. *Cùm autem dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.* Hac quoque comparatione vsus est Homerus Ἰλιάδ. λ.

Qualis acres vteri, ceu tela, puerpera sentit
Cùm stimulos duròsque ciet Lucina labores,
Haud aliter saui penetrauit robur Atridæ
Corde dolor. ———

CAP. XIX. V.22.

Quod scripsi, scripsi.

Ὃ γέγραφα, γέγραφα.

HOC est, vti ait D.Hieronymus, velitis nolitis Iudæi, omnis vobis gentium turba respondit, IESVS Rex Iudæorum est, id est Imperator credentium & confitentium. Hinc itaque factum, vt cùm quis vult significare nolle se mutare sententiam, nec variare factum, concinnè & prouerbialiter hoc vsurpet.

IBIDEM V. 24.

Non scindamus eam.

Μὴ σχίσωμεν αὐτόν.

IN hæreticos quadrat, qui sacram Scripturam conuellunt, aut membra Ecclesiç in diuersas opiniones distrahunt, atque hoc pacto vnitatem fidei & charitatis Christianæ soluunt. *Vnũ* enim, vt Paulus Ephes.IV.v.4.ait, *corpus sumus, vna fides, vnum Baptisma,*

ßima, vnus Deus & Pater omnium. Extat apud Naz. Orat. I. de Pace: *Malus ille, dissectam* CHRISTI *tunicam, quæ tota à summo contexta est, ideóque secari aut diuidi non debet, sibi vindicauit; per nosmet id efficere valens, quod per eos nequiuerat, qui* CHRISTVM *crucifixerunt.* Et apud Augustinũ in Ioan. Tractatu XIII. *Desuper texta tunica quid significat, nisi vnitatem? Hanc tunicam attende, quam nec persecutores* CHRISTI *diuiserunt. Ait enim: Dixerunt inter se: Non diuidamus eam, sed sortem super eam mittamus. Ecce enim audiuistis Psalmum: Vestem persecutores non consciderunt: Christiani Ecclesiam diuidunt.* Et Epistola CXVII. *Quare diuisores vestimentorum Domini esse vultis, & tunicam illam charitatis desuper textam, quam nec persecutores eius diuiserunt, tenere cum toto orbe non vultis?* Augustinus tamen hanc phrasin eleganter ad eos accommodat, qui duas naturas in CHRISTO à se inuicem diuellere conantur. Sic enim in Oratione de Quinque hæresibus exclamat: *Erubescite Ariani. Tunicam hominis iam iudicati, in cruce pendentis, carnifices Pilati non sunt ausi conscindere, & vos conamini charitatem Dei in cælo sedentis, imò Deum ipsam charitatem diuidere. Sed conamini quantum potestis, conamini: vos iam in infernum ruistis; nam illam tunicam numquam rumpetis.*

CAP. XX. V. 17.

Noli me tangere.

Μή μου ἅπτου.

IN Adagium venit, cùm de re tam valdè periculosa, quàm maximè omnium cauenda, agitur; etsi vsus huiusmodi vocis nihil habet affinitatis cum re gesta. Sancti Patres Græci Latinique multa hîc piè meditata proferunt, quæ non describo.

IBIDEM V. 29.

Beati qui non viderunt & crediderunt.

Μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες.

FIDES *est*, inquit Paulus ad Hebræos II. V. I. *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Hoc enim est *fides, credere quod non vides*, vt ait Augustinus Tractatu XL. in Ioan. & Gregorius Homilia XXVI. in Euang. quomodo Thomas Apostolus, quod videbat, crediderit: ex cuius incredulitate nostra confirmata fides est, vt idem Doctor Ecclesiæ docet. Conueniet hæc prouerbialis sententia in temerè curiosos, præsertim de rerum diuinarum mysterijs; quæ etsi supra mentis humanæ acumen sunt, non illi tamen minùs eorum rationem stolidè quæritant. Aut in eos, qui quòd non facilè aliquid credant, damnum inde faciunt.

EX

EX ACTIS APOSTOLORVM.

CAP. I. V.7.

Non est vestrum nosse tempora vel momenta.

Οὐχ ὑμῶν ἐστι γνῶναι χρόνους ἢ καιρούς.



PROVERBIALITER docet, non debere nos futura anxiè quęrere, cùm nemo homo ea scire queat. Hoc autem Prouerbio vetamur credere, ex vi siderum mala vel bona nobis proficisci, quando hæc à Deo expectamus, & illa à nobis per eius gratiam deprecari tantùm possumus.

CAP. V. V.29.

Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.

Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις.

HOC Apostolorum responsum speciem Prouerbij præ se fert, quo iubemur Deo pariter atque hominibus morem gerere, si id fieri queat. Verbi gratia, placendum est Deo & hominibus; sed quatenus non possis hominibus obsequi, nisi Deo displiceas, tum Deo magis quàm hominibus obedire debes. Item per hoc vetamur dare verba hominum auribus, hoc est, assentari. Qui enim auribus inseruiunt, seruile faciunt officium; & illud quidem stultis hominibus, non item Deo gratum.

CAP. VII. V. 57.

Continere aures.

Συνέχειν τὰ ὦτα.

MALITIOSE agit qui se surdum videri curat, sed multò certè malitiosiùs, qui continet aures ne omnino audiat; quod furentis, quod immanis, quod inexorabilis hominis est. Inde fluxit Prouerbium in eiusmodi belluas, qui sensibus abutuntur. Exodi VI. v. 12. & 20. *Incircumcisus labijs, auribus, corde.* Ieremiæ VI. v. 10. *Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt.*

CAP.IX. V.5.

Durum est contra stimulũ calcitrare.

Σκληρόν πρὸς κέντρα λακτίζειν.

METAPHORA desumpta à bobus aratoribus, qui cùm βουκέντροις aut stimulis recalcitrant, non stimulos, sed seipsos lędunt. Adhiberi potest in illos qui vel Deo vel potentioribus frustrà & magno suo malo reluctantur. Iob XV. v.25. *Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est.* Chrysostomus II. Corinth. II. Hom. V. *Qui clauos calcibus impetunt, eóque nomine gloriantur, ob huiusmodi furorem commiseratione ac lacrymis digni sunt.* E profanis Scriptoribus est Euripides Bacch. v.794.

—— Θυμούμενος
Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι, θνητὸς ὢν, Θεῷ.
— *Mortalis ira percitus*
Contra Deum, stimulos ferirem calcibus.

Pin-

Pindarus Pyth. Oda II. *Aduersus Deum non oportet contendere. Iugum autem quod sumpseris super ceruicem, leuiter ferre prodest; at contra stimulum calcitrare, lubrica via est.* Idem Olymp. Oda X. *Contemptionem susceptam aduersus potentiores deponere, difficile est.* Vel vt Hesiodus libro I. v. 208.

Stultus maiori quicumque resistere tentat
Vincitur, & magno pœnas subit inde pudore.

Nicephorus Eccles. Historiæ lib. XII. cap. 8. de Demophilo Ariano, Theodosio Imp. repugnanti, Πρὸς κρείσσονας ἀντιφέρεσθαι.

Illos aduersum, qui possent plura, veniret.

Apud Euripidem in Peliasi, citante Stobæo Serm. III. n. 28.

Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε τοῖς κρατοῦσί σου.
Potentiorum stimulis ne calcitres.

& in Æschyli Prometheo v. 322.

Ne membra contra stimulos extendas ferox,
Si me velis vti magistro: nam, vt vides,
Hic asper est tyrannus, haud iure imperans.

Zenob. in Prouerb. Πρὸς κέντρα λακτίζειν. Ammianus Marcellinus, *Contra acumina calcitrare.* Sic apud Terentium Phorm. Act. I. Scen. 2.

Inscitia est, aduersum stimulũ calces, scilicet iactare. Paulò aliter in Trucul. Plauti, Act. IV. Scen. 2.

— Si stimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.

Quod idem verbis proprijs dixit Casina Actu II. Scen. 4.

Stultitia est ei te esse tristem, cuius potestas plus potest.

Adagium etiam commodè vsurpari potest de hominibus αὐτοκατακρίτοις, qui, reclamante conscientia, in defensione hæreseων aut alijs sceleribus furenter pergunt, vt Paulus Tito scribit cap. III. v. 10, 11. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.*

CAP. XIII. V. 22.

Vir secundùm cor.

Ἀνὴρ κατὰ τὴν καρδίαν.

QVIDQVID ex voto succedit, hoc est, optatum contingit finem, id *secundùm cor* trito iam vulgi sermone fieri dicitur. Prouerbiale hoc schema desumptum est ex I. Reg. XIII. v. 14. *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum.* Accommodabitur vnicuique, qui ex animi sententia factus fuerit desiderij sui compos. Sic dicitur *cor vnum & anima vna,* Actor. cap. IV. v. 31. Locum Prouerbio facit, cùm magna animorum consensio significatur. Ieremias cap. XXXII. v. 39. *Dabo eis cor vnum.* idemque Ezechiel cap. XI. v. 19.

CAP. XVIII. V. 21.

Deo volente.

Τοῦ Θεοῦ θέλοντος.

SIC Paulus I. Corinth. XVI. v. 7. *Si Dominus permiserit.* & Iacobus Epist. cap. IV. v. 15. *Si Dominus voluerit.* Subijcit Prouerbium vitæ atque euentuum incertitudinẽ, & ex solius Dei nutu omnia pendêre. Boni ominis causa præmittitur à pijs, cùm loquuntur de rebus futuris, quas ani-

mo destinarint: vt apud Clementem Alexand. lib.IV. Strom. Ἢν Θεός γε ἐθέλῃ. *Si Deus voluerit.* Eamdem consuetudinem Ethnicos quoque saniores obseruasse, apparet ex illo Plinij lib.XXVIII. Nat.Hist.cap.2 *In Africa nemo destinat aliquid, nisi præfatus Africam. In ceteris verò gentibus deos antè obtestatur, vt velint.* Exempla subiungi possunt infinita. Nam apud solum Platonem decies sexies legitur, ἂν θεὸς ἐθέλῃ, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, εἰ θεὸς ἐθέλοι, in Phædone, Alcibiade primo, Lachete, Hippia maiore, Ione, lib.I. III. V. VI. VII. VIII. & IX. de Legib. & in Epinomide: Ἂν αὐτὸς ὁ Θεὸς ἡμῖν ὑφήγηται. Sic Pindarus apud Plutarchum, de versibus Pythiæ, θεοῦ θέλοντος. Euripides Orest.686.

— Δυνάμην ἢ διδῷ Θεός.
— *Si suppetat vires Deus.*

Sophocles Aiace flagellif. vers. 777. & 791. Σὺν θεοῖς. Apud Xenoph. lib. II. de Educat. Cyri pluraliter, Σὺν τοῖς θεοῖς. Sed hoc postremum, ob præpositionis ambiguitatẽ, nonnumquam in iocum fuit conuersum. Nam Stratonicus citharœdus (apud Athen. lib.VIII. cap.12.) interrogatus quotnam haberet discipulos, respondit: Σὺν τοῖς θεοῖς δώδεκα. *Cum dijs duodecim:* duobus nimirum discipulis annumerans Apollonis & IX. Musarum imagines, quæ in ludo depictæ erant. Et Diogenes scholam ingressus (vt Laërtius lib.VI.) vbi multas in pariete videbat Musas, paucos in subsellijs discipulos, dicebat: Σὺν θεοῖς, διδάσκαλε, πολλοὺς μαθητὰς ἔχεις. *Cum dijs, præceptor, multos habes auditores.*

CAP.XX. V.35.

Beatius est magis dare quàm accipere. Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν.

QVAMVIS hæc sententia prouerbialis in quatuor Euangelistarum scriptis nuspiam extet, (è Theophylacti sententia verisimile est, eam absque litterarum monumentis ab Apostolis ex ore Domini exceptam & propagatam fuisse,) similia tamen sunt, vnde sit sumptum hoc Prouerbium: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Item: *Date eleëmosynam. Misericordiam volo, non sacrificium. Operi nudum, egenos vagosq́; duc in domũ tuam.* &, *Gratis accepistis, gratis date.* Adhiberi potest, cum locupletiores ad liberalitatem in pauperes exhortaturi sumus. Gregorius Nazianz. apud Antonium lib. I. Melissæ cap.27. monet: *Da quæ accepisti, & vsum eorum tibi concessum in lucro ponas. Satis est tibi quòd ad dandum, non ad accipiendum sis destinatus.* Si ad præmia vitæ æternæ aspicimus, maior erit quoque illorum beatitudo, qui plura beneficia in pauperes contulerint, vt ipse CHRISTVS passim testatur, Matth.V. v.7. X.v.42. XXV.v.35. præsertim Luc.XIV. v.13. & 14. *Cùm facis conuiuium, voca pauperes, debilesq́; claudos & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Sic & Psalmo XL.v.1. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Aristoteles lib.IV. Ethic. cap.I. *Hominis liberalis magis est largiri ijs quibus decet, quàm accipere,* &c. *Virtutis enim proprium magis est benefacere, quàm aliorum benefacta recipere,*

pere, &c. Sed rationi planè absurdum videtur: quippe quæ hanc summam felicitatem existimet, si ab alijs accipiat, ac rem familiarem quotidianis incrementis augeat & constabiliat. Vnde illud Aristotelis lib. II. de Sophistarum elenchis cap. 5. *Accipere bonum est.* & Senarius è Delo Timoclis allegatus ab Athenæo lib. VIII. cap. II. Ἀνόητος ὁ διδούς· εὐτυχὴς δ' ὁ λαμβάνων. *Insanus est, qui dat: beatus qui accipit.* Huius opinionis falsitatem etiam nonnulli ex Ethnicis perspexerunt, & stultitiæ condemnarunt eos, teste Plutarcho περὶ Φιλοπλούτ. *qui vel cum infelicitate ditescere, quàm pecuniâ dandâ beati esse malint.*

CAP. XXIII. V. 3.

Paries dealbatus.

Ὁ τοῖχος κεκονιαμένος.

BELLE quadrat in hypocritas, de quibus CHRISTVS Matthæi XXIII. v. 27. *Similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt oßibus mortuorum, & omni spurcitia. sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Eamdem sententiam alia similitudine non minùs venusta exprimit Lucianus de ijs qui mercede conducti: *Omnes* (illi diuites) *similes sunt pulcherrimis istis libris, quorum aurei quidem vmbilici, & purpurea foris est pellis, ceterùm intus aut Thyestes est liberos in conuiuio comedens, aut Oedipus matris maritus, aut Tereus cum duabus sororibus rem habens. Eiusmodi sunt & illi, splendidi conspicuiq; : porrò intus sub purpura varias occulũt Tragœdias. Quorum vnumquemque si euolueris explicuerisq;, fabulam non mediocriter longam reperies Euripidis cuiuspiã, aut Sophoclis. Contrà foris nihil nisi purpura splendida, aureiq; vmbilici.* Eius vsûs exemplum habes apud Senecam in libro de Gubernatione mundi, diuinaque prouidentia, c. VI. Affine huic vetus olim Adagium est: *Ex eadem fidelia duos inalbare parietes.*

EX EPISTOLIS B. PAVLI APOSTOLI.

AD ROMANOS.

CAP. I. V. 14.

Sapientibus & insipientibus debitor sum.

Σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί.



REFERVNTVR hęc ad singulares personas. Notant hic Chrysostomus & Theophylactus modestiam Pauli, qua ait, *debitor sum*, quasi dicat: Debitum irrecusabile euangelizandi mihi incumbit. Communiter instar Adagij adhibetur, cùm quis admonetur officij pluribus præstandi. Namque Stoicis placet, vt Cicero I. Offic. narrat, homines hominum causâ creatos esse.

CAP. II. V. II.

Non est acceptio personarum apud Deum.

Οὐκ ἔστι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ.

NOBILIS hæc sententia loco Prouerbij habetur, in eos qui diuini instituti obliti, in hos amorem, quòd ciues,

ciues, in illos odium, quòd peregrini sint, habent. Sed in malos iudices aptiùs torquetur, qui iudicando hominum personas, non iustitiã respiciunt; ideoque plus distribuunt diuiti quàm pauperi, amico quàm inimico, placenti quàm displicenti. Cicero in Officijs personarum respectum non habendum indicat. *Malè etiam*, inquit, *qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eósque exterminãt, vt Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Nam esse pro ciue, qui ciuis non sit, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientißimi Consules Crassus & Scæuola: vsu verò vrbis prohibere peregrinos, sanè inhumanum est.* Hæc Cicero. & Plato v. de Legib. de eadem re ita præcipit: *Ad peregrinos verò sanctißima esse fœdera, quisque cogitet: fermè omnia contra peregrinos peccata, præ illis quæ inter ciues committuntur, vltori Deo curæ sunt. Nam cùm peregrinus amicis cognatisq; careat, maiorem & apud Deum & homines meretur misericordiam.*

IBIDEM V. 12.

Sine lege peccantes, sine lege peribunt.

Ἀνόμως ἁμαρτάνοντες, ἀνόμως ἀπολοῦνται.

In Adagij consuetudinẽ non raram venit, in homines dissolutos; qui cùm violant leges, nullis quoque legibus defendentur quin malè pereant: tantum abest, vt euersores iuris & legum spes vlla salutis tenere possit. Sed multò aptiùs profectò in nostros hærebit Epicureos, qui, vti Poëta ait,

Nec curare Deum credunt mortalia quemquam;

ac proni belluarum ritu viuentes, sine lege perituri sunt, amittentes vnà corpus & animam.

IBIDEM V. 21.

Alium doces, teipsum non doces.

Διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις.

Dici solebat de eo, qui id vitium fugiendum prædicaret, à quo ipse vacuus non esset. Pulchrè B. Prosper, *Benè*, inquit, *docere, & malè viuere, quid aliud est, quàm se sua voce damnare?* Et S. Bernardus lib. II. de Considerat. ad Eugenium, ante medium. Idem Serm. III. in Vigilia Natiuitatis Domini, & Q. Flaccus lib. I. Epistolâ XVII. v. 3.

Disce docendus adhuc. —

CAP. III. V. 8.

Non sunt facienda mala vt eueniant bona.

Οὐ ποιήσωμεν τὰ κακὰ ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά.

Obiici potest ijs, qui sicubi errasse deprehenduntur, bonam animi intentionem culpæ prętexunt. Neque enim tantummodò bonus finis in actionibus nostris spectandus est, verùm etiam opera adhibenda, vt ordinarijs ac legitimis medijs ad scopum illum contendamus; aliàs euentus votis haud respondet. Non longè hinc dissidet illud Herodoti: Μὴ τὸ κακὸν τῷ κακῷ ἰῶ. *Noli malum medicari malo.* Quod Sophocles in Aiace flagellifero dixit v. 363.

— Μὴ κακὸν κακῷ διδοὺς
Ἄκος, πλέον τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει.
— *Ne pharmacum malum malo*
Addens, grauius reddas tibi infortunium.

& ali-

& alibi, citante Stobæo Sermone IV. num. 32.

Ἐνταῦθα μὲν τι πάντα τ' ἀνθρώπω
νοσεῖ,
Κακοῖς ὅταν θέλωσιν ἰᾶσθαι κακά.
Mortalium res hinc laborant maximè,
Quando malum curare conantur malo.

Theophylactus cum Interpretibus antiquis exponit, vt dicatur in eos, qui alienæ vtilitatis specie peccant, quod faciendum non est, vsque adeò vt, auctore Cicerone lib. Offic. III. eiusmodi vtilitatis species præ honestate contemnenda sit. Vnde D. Augustinus in Prouerbium sic vertit: *Non sunt facienda mala, vt veniant bona.*

IBIDEM V. 19.

Obstruere os.

Στόμα φραγεῖν.

Hoc est, occludere. Apud Prophetam Psal. LXII. v. 12. efficere est, vt re ipsa quis mendacij conuictus, præ pudore obmutescat, dicentem: *Obstructum est os loquentium iniqua*: teste Origene. Apud Apostolum hîc est reddere quempiam obnoxium culpæ, cùm ab officio discesserit, atque ita confundere. In huiusmodi sensus isti loquendi modi prouerbiales habentur. Aliter etiam dicitur *os obturare*, pro beneficijs quempiam corrumpere vt taceat, vt ne offendat. Qua de formula nos vberiùs disseruimus Notis ad Græcorum Prouerbia è Suida alijsque.

CAP. VII. V. 19.

Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago.

Οὐ ὃ θέλω ποιῶ ἀγαθὸν, ἀλλ' ὃ οὐ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω.

Sancti Pauli querimonia est de naturæ nostræ fragilitate atque corruptione, & de infelici carnis ac spiritus pugna. Ethnici quoque simile iudicium rectę rationis & prauæ cupiditatis experti sunt, vt illa apud Ouidium lib. VII. Metam.

Abstrahit inuitam noua vis, aliúdque cupido,
Mens aliud suadens: video meliora, probóque,
Deteriora sequor. ———

ex illo Euripidis in Medea v. 1078.

— Μανθάνω μὲν οἷα τολμήσω κακά,
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,
Ὅσπερ μεγίστων αἴτιος βροτοῖς κακῶν.
Intelligo quantũ mali nunc audeam,
Sed vincit ira, consilijs potentior,
Quæ maximi mortalibus caussa est mali.

& Phædra in theatro apud Euripidem in Hippolyto v. 308.

Τὰ χρηστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γινώσκομεν,
Οὐκ ἐκπονοῦμεν δ'. —
Quæ recta sunt scimus quidem & cognoscimus,
Sed rebus haud præstamus. —

quod Seneca in eiusdem Hippolyti tragœdia Act. I. Scen. II. sic vertit:

— *Quæ memoras, scio*
Vera esse, nutrix; sed furor cogit sequi
Peiora. Vadit animus in præceps sciens
Remeatq́; frustrà sana cõsilia appetẽs.
Quod ratio poscit, vincit ac regnat furor.

Rursum Laius in Tragœdia apud Clementem Alexandrinum libro II. Strom.

Λέληθεν οὐδὲν τῶν δέ μ' ὧν σὺ νουθετεῖς·
Γνώμην ἔχοντα μ' ἡ φύσις βιάζεται.

Me nil eorum de quibus mones latet:
Natura vi, quamuis scientem, me abripit.

CAP. VIII. V. 28.

Diligentibus Deum omnia in bonum.

Ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα συνεργεῖται εἰς ἀγαθόν.

Consolationis loco subijcitur afflictis, vt cogitent, Deum etiam aduersitates & tribulationes molestissimas, ipsorum commodo immittere, vt inde tandem aliquid boni eliciat, vel omnia in vsum humanæ salutis conuertat. Citatur ab Augustino libro I. de Ciuit. Dei cap. 9. Ita Plinius lib. XXVII. cap. 2. de venenis loquitur, vbi paulò pòst subiungit vetus dictum quod Senarium referre videtur: *Malum quidem nullum esse sine aliquo bono.* Ouidius libro II. Metamorph. vers. 332.

— Aliquisq; malo fuit vsus in illo.

IBIDEM V. 31.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Εἰ ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ὑμῶν;

Sic Genes. XXVIII. v. 20. *Si fuerit Deus mecum.* & eodem sensu Iob cap. XVII. vers. 3. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Quasi Apostolus hîc dicat, Nihil nobis officere poterit. vnde Dauid Psalmo XXVI. v. I. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

CAP. IX. V. 12.

Maior seruiet minori.

Ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι.

Ex oraculo Genes. cap. XXV. v. 23. *Populus populum superabit, & maior seruiet minori*, vt in Esau vsuuenit. Tale pòst fuit in hereditate diuidunda decretum Iuris ciuilis, *Maior diuidet, minor verò eliget.* vt ad Controuersias M. Annæi Senecæ docuimus.

IBIDEM V. 21.

Aliud vas in honorem, aliud in ignominiam.

Ὃ εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν.

Translatio à figulo vasa omnis generis faciente, etiam in contumeliam, vt matulam. Sic monemur sorte nostra esse contenti. Adagij nomine dicitur, ad ostendendam personarum varietatem; & liberum alicuius arbitrium.

IBIDEM V. 27.

Tamquam arena maris.

Ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης.

Dicitur de ijs, qui rem infiniti laboris atque inexplicabilem suscipiunt, aut frustrà conantur, quod nequeant efficere. Plura in Sacris litteris hinc inde occurrunt. De hac locutione quædã D. Augustinus l. XVI de Ciuit. Dei cap. 21. Catullus eleganter de re impossibili: *Ille pulueris Erythræi siderúmque micantium subducat numerum.* Ouidius:

Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent,
Paruáque quot siccus corpora pulnis habet.

Seneca

Seneca in Medea: *Priùs arenis numerus deerit.* Tale & illud vetus: Ἄμμον μετρεῖς, id est. *Arenam metiris.* &, *Arenæ copia.* Arenam autem metiri posse, S. Scriptura scientiam illam hominibus derogat, Gen. XXXII. v. 12. & soli Deo tribuendam docet. vt Greg. Nazianz. Orat. de Spiritu sancto: *Ne illa quidem scire poßimus, quæ ante pedes sunt, nec arenas marium, guttas pluuiæ, aut dies æui numerare: nedum vt per Dei profunditates incedere poßimus.* In quem rectiùs competit illud Sibyllæ:

> Οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμων τ' ἀριθμὸς, καὶ μέτρα θαλάσσης.
>
> *Noui ego arenarum numeros, mensumq́; profundi.*

Et versus Oraculi Apollinis apud Eusebium libro v. Præp. Euang. cap. 32. in oraculo quod dæmon Crœso reddidit, iactat se nouisse arenæ numerum, & mensuram maris.

> Ὦ εἰδὼς ψάμμου τ' ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης.
>
> *Qui maris es mensor, numeróque carentis arenæ.*

Itaque non rectè Archimedes Syracusanus arenæ numerum iniri posse tradidit: neque Architæ Tarentini valet ostentatio, de quo Poëta canit Flaccus lib. I. Carm. Od. XXVIII.

> *Se maris & terræ, numeróque carentis arenæ*
>
> *Mensorem iactantis.* —

Ridicula & Xenocratis calculatio litterarum & arenæ, apud Plutarchum Symposiacῶν lib. I. quæst. 3. Ethnicis quoque res non ignota. Frequenter enim τὸ ἠμαθόεις, vt Anacreon Epigram. 32. & τὰ ψαμμακόσια, pro infinito accipiunt. Alexis Comicus in Hippisco apud Athen. lib. VI. cap. 5. & Eupolides in fabula quæ Χρυσοῦν γένος, siue *Aureum sæculum* inscripta fuit, apud Scholiasten Aristophanis in Acharnensibus v. 3. ad vocem ψαμμακοσιογάργαρα, de quo Macrob. lib. v. Saturn. cap. 20. Vertit ibi interpres Germanus, *montem arenæ æquans.* Desiderius in Chiliad. Arithmetica terminatione arenaginta ex Athenæo. Arenæ quoque dinumerationem pro impossibili re vsurparunt, quemadmodum è Pindari in Olymp. Oda II. & Oda XIII. & Pythiorum Oda IX. Hinc Methodius in Etymologico magno ἄμαθον vocem deriuat ab α priuatiua, & verbo μαθεῖν *discere*, quòd incognita disci non possint. Ita Phœnix Colophonius lib. I. Iamborum apud Athen. lib. XII. cap. 49. Philippus lib. IV. Epigrammatum Græcorum cap. 2. Plura verò collegit Iunius Cent. v. Adag. LXXX. Addam illud Maronis de Vitibus lib. II. Georgic. vers. 105. & Columellæ lib. III. cap. 2.

> *Quem qui scire velit, Libyci velut æquoris idem*
>
> *Discere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ.*

Item Ammianus Marcellinus l. XIV. extremo. Apponam & hyperbolem, qua Apollinarius vtitur in metaphrasi Psalmi trigesimi noni, de suorum peccatorum multitudine:

> Καὶ μεῦ πλειότεραι κεφαλῆς ἔπλοντο κομάων,
>
> *Verticis illa mei potuere æquasse capillos.*

Irenæus de Curiositate hominis infinita in religionis mysterio libro II. cap. 45. sic ait: *Pergat adhuc, vt arenam enumeret, & calculos terræ, sed & fluctus maris, & stellas cæli, & caussas excogitare numeri, qui putatur inuentus: nonne*

nónne in vanum laborans, & delirus hic talis, & irrationabilis ab omnibus, qui sensum habent, iustè dicetur.

IBIDEM V. 29.

Sicut Sodoma & Gomorrha similes fuissemus.

Ὡς Σόδομα καὶ Γόμορρα ἂν ὡμοιώθημεν.

VTI possimus Adagio ad euentus similitudinem indicandam. Legimus Gen.XIII.v.13. *Homines Sodomitæ pessimi erant.* & Ezech.XVI.v.49. eorum vitia recensentur: & de vitiosis Deut.XXXII.v.32. *De vinea Sodomorum & suburbanis Gomorrhæ.* & Ezechiel.XVI.v.48. & 55. *Soror Sodomæ.* Isaiæ I.v.10.c.III. v.9. Ierem. XXIII. v.14.Thren.IV.v.6.Apoc.XI.v.8. Ierusalem vocatur spiritaliter Sodoma & Ægyptus. Ratione punitionis inuenias vsurpari Isaiæ I.v.9. *Nisi Dominus exercituũ reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* De non reædificanda nec habitãda ciuitate vsurpauit Isaias cap.XIII.v.19. Ierem.XLIX. vers.18. Amos IV.v.11.Soph.II.v.9. Similiter in Testamento nouo à peccato & pœna similes videntur esse. II.Pet.II. v.6. *Ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit.* Ierem.XX. v.16. Salomon Sapientiæ cap.X.v.7. Μαρτύριον πονηρίας, hoc est *testimonium improbitatis* Sodomiticæ vocat: *Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.* Iudas Apostolus cap.I. v.7. δεῖγμα nominat, id est horrendum iræ diuinę exemplum, vnde posteri colligere debeant, quàm facilè Deus etiam fertilissimas oras, ipsius Paradisi haud absimiles, propter incolarum peccata non solùm incendijs & tumultibus bellicis, sed etiam flammis vltricibus immediatè è cælo proiectis radicitus exscindere possit, vt Psal.CVI.v.34. *Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* De Sodoma sic Solinus Polyhistor c.XXXIX. *Longo ab Ierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cælo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum: apud quæ pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest. Nam fuliginem intrinsecus fauillaceam, ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ leui tactu pressa, fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem.* Omnium autem pulcherrimè D. Cyprianus, in Sodomis v.126.

Nusquam sunt Sodomi, nusquam illorum impia lucent
Mœnia, cùm dominis domus omnis inops ita nusquam
Tota rogus regio est, hinc atro horrore fauilla,
Hincq́; situ cano cineres, incendia signant, &c.
Nullus arat frustrà piceas fuligine glebas.
Semiperempta etiam si qua illic iugera, lætas
Autumni conantur opes, facilè optima sese
Promittunt oculis, pyra, persica, & omnia mala,
Donec carpuntur: nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauilláque pomum.

CAP.

CAP.XII. V.15.

Gaudere cum gaudentibus.

Χαίρειν μετὰ χαιρόντων.

EA sit sympathia inter vos, vt fratrum bona vel mala æquè vos ac illos tangant. Ita S. Basilius Homilia in Iulittam Martyrem. Paulus Apostolus eo vtitur, per quod illos instituat, vt alij erga alios optimè animo affecti sint, inter se charitate complectentes.

IBIDEM V.20.

Carbones ignis congeres super caput eius.

Ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.

AVREAM hanc à Salomone mutuatus est sententiam, prout liquidò patet in Prouerbijs c.xxv.v.21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* Monet hac φράσει Paulus, nequaquam de hostibus desperandũ, verùm id potiùs agendum esse, vt beneficijs eos molliamus, & lucremur, nosque vicissim amicis obsequijs demereri studeamus. Exemplo Dauidis erga Saulũ id comprobatur 1. Reg. xxiv. v. 18. & xxvi. v. 21. & de Ioram II. Reg. vi. v. 22. Chrysostomus & Theophylactus: *Non posse hostem grauiùs vlcisci quàm benefactis.* Iram enim sibi thesaurizant qui vlcisci student, nec ignoscunt iniuriam inferentibus. Rom. II. v. 6. & Psal. cxl. v. 9, 10. S. Augustinus l. III. de Doctr. Christ. cap. 16. Socrates, quamuis Ethnicus, apud Xenophontem lib. II. Ἀπομνημ. vtrumque finem in huiusmodi certaminibus spectandum admonet. Interroganti enim Chærecrati, *Quid si ille nihilo reddatur melior, vbi ego hæc faciam?* prudentissimè respondet: *Quid aliud, nisi vt ostendas te quidem bonum & amantem fratris esse, illum autem prauum, & indignum beneficio? Sed nihil horũ puto. Quin potiùs arbitror, ipsum, cùm senserit se ad hanc luctam abs te prouocari, tecum certaturum, ac daturum operam, vt cùm in dictis tum re ipsa te benefaciendo superet.* Quòd si tantum in Ethnicis potuit Philosophiæ studium, nobis profectò, qui Christiani sumus, turpissimum fuerit, si ipsis hac in parte inferiores deprehendamur.

CAP.XIII. V.I.

Non est potestas nisi à Deo.

Οὐκ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ.

HIS verbis S. Paulus ostendit, Deum esse magistratuũ dignitatis auctorem. Quod & S. Augustinus probat libro v. de Ciuitate Dei c.21. Prouerbialis sermo nostris passim vsurpatus, quoties innuere volũt, esse parendum omnibus Præfectis, Præpositis & Magistratibus. Explicat S. Isidorus Pelusiota lib. II. Epist. 216. integra. Sic B. Hieronymus Epist. 4. ad Rusticum monachum: *In apibus princeps vnus est: grues vnum sequuntur ordine litterarum.* & quę ibidem plura extant, relata etiam à Gratiano Canon. XLI. In apibus. 7. q. 1. De apibus eorumque regno etiam Virgilius l. IV. Georg. De piscium principatu Oppianus in Halieuticis. Adi quoque Io. Stobæum Serm. CXLVI. CXLIX. CLII. & seqq.

CAP. XIV. V. 5.

Vnusquisque in suo sensu abundet.

Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω.

QVISQVE suo iudicio perfruatur, quisque suum sensum abundè expleat. In alijs enim quæ indifferentia non sunt, hoc suadere & facere non licet. Hic sensus patet ex versu sequenti, vbi Apostolus tam manducantem quàm non manducantem laudat. Prouerbialiter dicitur abundare suo sensu, cùm in sua permanet sententia, id quod pertinacis est.

CAP. XV. V. 6.

Vno ore.

Ἐν ἑνὶ στόματι.

DESVMPTVM ex Paralip. lib. II. cap. XVIII. v. 12. *En verba omnium Prophetarum vno ore bona Regi annuntiant.* Ad significandum summum consensum, adhibetur. Sic & Cicero in Amicitia: *Vna est enim amicitia in rebus humanis, de cuius vtilitate omnes vno ore consentiunt.*

I. CORINTHIORVM.

CAP. III. V. 13.

Dies declarabit.

Ἡ ἡμέρα δηλώσει.

COGNATVM & illud, quod explicatum Matthæi X. v. 26. *Nihil est opertum, quod non reueletur.* & illud Æschyli in Prometheo v. 961.

Ἀλλ' ἐκδιδάσκει πάνθ' ὁ γηράσκων χρόνος.

Sed edocet tempus senescens omnia.

Gellius lib. XII. Noct. Attic. cap. II. *Veritas filia temporis. Veritatem dies aperit*, ait Seneca lib. II. de Ira. Vtuntur autem his & similibus Adagijs, qui de rebus occultis aut etiamnum dubijs temerè pronuntiare nolunt, donec progressu temporis aliquid certius afferre possint.

IBIDEM V. 19.

Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum.

Ἡ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, μωρία παρὰ τῷ Θεῷ.

IN vitio hîc ponitur; vt astuti dicuntur, qui cauti & sapientes sunt. Eos tamen Dominus capiet, cùm scilicet eorum technas res ipsa declarabit illud ipsum esse, quo sese inuoluerint, & reprobabit Deus sapientiam sæcularem, & abijciet quasi fatuam. Sic & in Epistola ad Rom. cap. VIII. vers. 5. ait: *Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax. quoniam sapientia carnis inimica est Deo.* Hæc Paulus. *Persuasio inanis sapientiæ impedimento est profectui*, ait S. Isidorus Pelusiota libro IV. Epistola 6. quod dictum tritissimum est. Veritatem eius testatur experientia, & rationem aperit Isidorus ibidem Epist. 21. Præclarè Leo Magnus Serm. IX. in Natiuit. Domini: *Nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit, in rebus diuinis, etiamsi multum proficiat, semper sibi superesse quod quærat.*

quærat. Nam qui se ad id, in quod tendit, peruenisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inquisitione defecit.

CAP. IV. V. 4.

Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.

Οὐδὲν ἐμαυτῷ σύνοιδα· ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι.

DE homine iusto iniquóve vsurpari potest. Est autem conscientia propriorũ factorum certa notitia, id est, sui ipsius scientia, per quam nocens scit aliquid sibi crimini datum iri, innocens verò nihil sibi fraudi fore. Ita Apostolus 1. Corinth. cap. IV. v. 4. de sua integritate prædicans, ait: *Nihil mihi conscius sum.* S. Basilius in Constit. Monast. cap. 1. *Multa*, inquit, *delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc causam etiam Propheta ait Psal.* XVIII. *v.* 13. *Delicta quis intelligit? Quare nihil mentitus sis, si te peccatorem appellaueris.* Et præclarè Cicero ad Atticum lib. XII. *Mea mihi conscientia pluris est quàm hominum sermo.* B. Petrus hortatur 1. Petri III. v. 16. *Loquamini de ea quæ in vobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia, conscientiam habentes bonam.* Paulus II. ad Corinth. c. II. v. 12. *Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ.* Bonam auté conscientiam, Bias nihil metuere, Periander verò, summam esse libertatem prædicat, vterque in septem Græciæ Sapientibus: quod & Horatius dixit, *murum efficere aheneum, nil sibi conscire*, lib. 1. Epist. 1. v. 60.

IBIDEM V. 9.

Spectaculum facti sumus.

Θέατρον ἐγενήθημεν.

SVMPTA metaphora ab ijs qui ignominiæ causa circumducti, ad mortem denique trahuntur. vnde Hieronymus in Epitaphio Paulæ legit, *Theatrum facti sumus*, vt Græcè est θέατρον. Vice itaque Prouerbij hodie haudquaquam ineptè citatur, vbi volunt speciatim innuere, aliquos in summo honore esse, ad quos omnium oculi diriguntur. Chrysostomus in Morali Homilia hîc XII. de theatro huius vitæ, in quo coram Deo omnia agimus, intelligit. Sic Augustus moriturus, ait Suetonius, ad amicos adstantes, *Satísne*, inquit, *commodè personam nostram hac scena, hoc theatro egimus? Commodè*, responderunt amici. tum ille: *Valete & plaudite*; & reductis cortinis animam efflauit. Similia Augusto in mortis articulo iactasse ferunt Henricum VIII. Britanniæ Regem, qui totam iam insulam peruerterat. Meliùs & aptiùs Edmundus Campianus, Societatis nostræ sacerdos, & æui nostri flos, nobilis Angliæ Martyr, verè Campianus, verè pugil & athleta Christi, iam martyrio afficiendus, in theatro hoc vltimum concionis suę thema proclamauit: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus.* Tale enim theatrum & spectaculum hîc ad litteram intelligit Apostolus. *Nullum theatrum virtute & conscientiâ* (præsertim apud Christianos martyrio) *maius est*, inquit Cicero lib. II. Quæst. Tuscul. Appositè quoque ad mores hæc verba tractat S. Bernardus Sermon. XXXI. inter paruos.

IBIDEM V. 13.

Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.

Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι.

ALLVDIT Paulus ad Ieremiam, qui Thren.cap.III.v.45.ait: *Eradicationem & abiectionem posuisti me, in medio populorum. Vt purgamenta*, id est recrementum, fæx, scoria vel sordes, quæ ex lurida re quapiam repurgantur. *Peripsema* verò Græcis, ramentum, scobs, aut vt Græca scholia volunt, vilis panniculus, quo sudor abstergitur, vt Theophylactus. In summa, confert sese Apostolus cum ijs quæ non modò nullius penitus sunt pretij, sed etiam quę omnes à se quàm longissimè abesse velint. Prouerbiale adhibetur, cùm quis nullo perinde inter homines habeatur numero, nihilque illo neglectius sit, ac fæx, quæ cuiuscumque rei est reliquiæ. Nonnemo hoc loquendi schemate hodie etiam vrbanè passim vtitur. De vocis autem etymo rituque disseruimus libris Sacrarum Obseruationum.

IBIDEM V. 17.

Si Dominus voluerit.

Ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ.

VIDE suprà Actor. cap. XVIII. verſ.21.

CAP. V. V. 6.

Modicum fermentum totam massam corrumpit.

Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ.

APOSTOLO familiare hoc Prouerbium fuisse apparet. D. Hieronymus lib.III. Comment. ad Galat. *Modicum fermentum totam conspersionem fermentat.* Tertullianus de Pudicitia: *Fermentum modicum totam desipit conspersionem.* vbi *desipere* actiuè intelligendum est. q. d. horridum saporem immittere. *Fermentum* pro hypocritica simulatione Religionis, Matth.XVI. v.6. & XI. v.12. deinde pro nequitia vel prauitate morum & vitæ, I.Cor.V. v.8. In doctrinæ corruptelis, quamuis initio tantùm vnicum quempiam Fidei articulum oppugnare videantur, tamen progressu temporis etiam reliquos adoriuntur, & sensim labefactant, donec tandem totum genus doctrinæ peruertatur, vt Tertullianus lib.1. adu. Marcionem c.2. affirmat. *Nouam*, inquit, *& hospitam argumentatus est Diuinitatē in* CHRISTO *suo reuelatam, modicóque exinde fermento totam fidei massam hæretico acore decepit.* Atqui hanc ipsam ob causam D. Apostolus hoc Prouerbium ad Galatas cap.V. v.9. adducit, vbi in auditores suos acriter inuehitur, quòd azymis sinceri Euangelij, ritum circumcisionis, & similes cærimonias Iudaicas instar veteris fermēti admiscuerint. Chrysostomus ibi, *Exiguum*, inquit, *hoc malum, si non corrigatur, poterit vos in perfectum Iudaismum pertrahere, sicut fermentum conspersionem.* Eadem ratio est flagitiorum in vita externa, vt & vulgò Prouerbium iactetur, *scabiosam ouem totum inquinare gregem.* & metro sic:

Morbida facta pecus totum corrumpit ouile.

siue vt Hieronymi verbis vtamur libro III. Comment. ad Gal. *Vnius pecudis scabies totum commaculat gregem.*

Iuuen.

Iuuen. Sat. II. v. 77. vbi de Cretico tenuem & pellucidam vestem induto:

Acer & indomitus, libertatísque magister
Cretice pelluces: dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures, sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci:
Vuáque cõspecta liuorem ducit ab vua.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu,
Nemo repentè fuit turpißimus. —

Huic sensui vicinus est locus Varronis apud Non. Marcellũ: *Sæpè vnus puer improbus atque impurus inquinat totum gregem.* Vsus autem Prouerbij docet, principio in malis esse occurrẽdum, ne gens tota pereat, vt de Caiphæ iudicio Ioan. XI. v. 50. Quod & hodie in atrocibus delictis obseruandum esse monet Hieronymus lib. III. Comm. ad Galatas: *Scintilla statim vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massæ vicinia semouendum: secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat.* Affinia sunt, Adagium Apostol. I. Corinth. XV. v. 33. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* & illud Ecclesiastæ X. v. I. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.*

CAP. VI. V. 12.

Omnia licent, sed non omnia expediunt.

Πάντα ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει.

QVIS putet Corinthios ita fuisse rerũ imperitos, vt omnia sibi sine exceptione vlla licere crediderint? Siracides Eccli. XXXVII. v. 31. *Non omnia omnibus expediunt.* Nam vt Poëta canit,

— *Non omnia possumus omnes.*

Nec *omni animæ omne genus placet*; quia, teste Persio Sat. V. v. 53.

Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

& auctore Homero Odyss. ξ. v. 228.

Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.

Alius aliis vir operibus delectatur.

Propertius lib. III. ad Mæcenatem:

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur vlla iugo. &c.

Sententia prouerbialis nos commonefacit, debere interdum non tam quod liceat, quàm quod conducat animaduertere, quando semper quod expedit licet, non quod licet expedit. Congruet in inconsideratissimos homines, qui nihil non imprudenter intempestiueque agunt. Hunc sensum rectè refellit Ambrosius. *Quomodo*, inquit, *licet quod prohibetur? aut certè, si omnia licent, nihil potest esse illicitum.*

CAP. VII. V. 20.

Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

Ἕκαστος ἐν τῇ κλήσει ᾗ ἐκλήθη, ἐν ταύτῃ μενέτω.

SIC Ephesiorum c. IV. v. I. Paulus: *Dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis.* Præclarè S. Ephræm Adhortatione IV. Tom. II. *In quo vocatus es opere, firma anchoras ac funes, ne in pelagus tua nauis impellatur.* Vulgò vsurpatur, cùm volunt innuere, vnumquemque debere esse suo statu con-

tentum. Horatius Flaccus singulari Satyra I. ad Mæcenatem sua quemque sorte contentum viuere docet oportere.

CAP. VIII. V. I.

Scientia inflat.

Ἡ γνῶσις φυσιοῖ.

ADAGII loco passim recitatur in eos, qui ex eo, quòd alicuius artis scientes sint, supra modum insolentes fiunt, tantumque sibi sumunt, vt nemini prætereà quidquam relinqui putent, ac non sine contemptione aliorum opera semper inspiciant. Talis est ventosa scientia, quæ tumet, turget, instar follis vento distẽti. Verè S. Augustinus in Sententijs apud Prosperum num. 241. *Humilium,* inquit, *virtus est, de scientia non gloriari: quia communis est omnibus sicut lucis, ita participatio veritatis.*

IBIDEM.

Charitas ædificat.

Ἡ ἀγάπη οἰκοδομεῖ.

ÆDIFICARE est proximum instruere, eúmque promouere in pietatis ac Religionis studio, quatenus scilicet scientia charitate destituitur: quamquam ne tum quidẽ est aliquod in scientia vitium, sed in hominibus potiùs qui ea abutuntur. Est autem Scripturis familiaris ista translatio, inde exorta, quòd Ecclesia dicatur *domus Dei*, ex fidelibus quasi lapidibus constructa, ipsique adeò Fideles *templum Dei* dicantur. Sumpta autem metaphora à murorum conditoribus siue architectis, quòd vt per istos opus crescit, ita per charitatem beneuolentia inter mortales semper augetur: & ita charitas ædificat, id est iuuat, prodest, opitulatur. Appositè S. Bernardus Serm. XXXVI. in Cantica: *Sicut cibus indigestus malos generat humores, & corpus non nutrit, sed corrumpit; ita ex multa scientia ingesta stomacho animæ (quæ est memoria) si igne* CHRISTI *decocta non fuerit,* &c.

CAP. IX. V. 7, 8.

Quis militat suis stipendijs vmquã?

Τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ;

Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?

Τίς φυτεύει ἀμπελῶνα, καὶ ἐκ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ οὐκ ἐσθίει;

Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?

Ἢ τίς ποιμαίνει ποίμνην, καὶ ἐκ τοῦ γάλακτος τῆς ποίμνης οὐκ ἐσθίει;

CONFIRMAT Apostolus Galat. cap. VI. v. 8. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Ait Cicero lib. I. de Oratore: *Vt sementem feceris, ita & metes.* id est, reportabis prẹmium tuis factis dignum. Et: *Quod ipse intriueris, tibi exedendum.* Rursum Psal. CXXVII. v. II. *Labores manuum tuarum manducabis.* Sic quoque de muliere forti Prouerb. XXXI. v. 31. *Date ei de fructu manuum suarum.* & v. 16. *De vinea quam plantauit.* Locum hunc explicans Nazianzenus Inuectiuã in Iulianum sic scribit: *Quid vocat* ὀψώνιον? *nempe tesseram frumentariam, quam à Rege percipiunt, & dona quæ digni-*

dignitatibus ex lege tribuuntur. His interrogationibus vim negandi inesse, docet Iustinus Martyr in Responsionibus ad Orthodoxos Quæst. 119. Primò de militibus, qui plerumque Regio aut publico merent stipendio. Dicta autem hęc accommodantur ad Ecclesiæ Doctores, quasi milites: II. ad Timoth. II. v. 3. *Labora sicut bonus miles* CHRISTI IESV. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit.* & I. ad Timoth. I. v. 18. *Milita bonam militiam.* Secundò de operarijs in vinea, Matthæi XX. v. I. & vinitoribus, Mat. XXI. v. 34. *Misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius.* Tertiò de pastoribus gregis, Ierem. III. v. 15. & I. Pet. v. v. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei,* &c. Prouerb. XXVII. v. 27. *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ: & ad victũ ancillis tuis.* Basilius apud Antonium lib. II. Melissæ, Serm. 47. *Quis vindemiauit vineam, quam ipse non conseuerit? Eorum sunt fructus, quorum fuerunt labores.* Similia Pindarus in Isth. Oda I. *Alia merces hominibus, ob alia facta dulcis est & pastori ouium, & aratori, & ouium insidiatori & piscatori, quem mare nutrit: sed quilibet contendit vt luctuosam famem à ventre propulset.* Seneca Epist. XXXIV. *Agricolam arbor ad fructum producta delectat. Pastor ex fætu gregis sui capit voluptatem.*

IBIDEM V. 9.

Non ligabis os boui trituranti.

Οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα.

NVM ad boues ipsos propriè respexit Deus, cùm hanc legem conderet? Nam alioquin minima etiam quæque complectit Dei prouidentia, vt Matthæi X. v. 29. *Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* Et de pullis coruorum inuocantibus eum, cunctisque animalibus & creaturis, cura est Deo, vt docet Psaltes cùm alibi, tum toto Psalmo CIII. Sic Deuter. cap. XXV. v. 4. *Non capistrabis bouem, cùm triturat.* & I. Timoth. V. v. 18. *Non infrænabis os boui trituranti. Dignus est operarius mercede sua.* Iosephus libro IV. Antiq. Iudaic. cap. 8. *Iniustum esse, laboris socios arcere fructibus, quibus acquirendis ipsi quoque occupati fuerint.* Deus Israëlitis iniungit, vt tempore trituræ boues ore libero in aream inducant, quò nimirum arreptâ interdum spicâ vnâ atque alterâ, famem depellere, tandemque laboris sui fructum percipere possint. Huic contrarium est illud Ethnicorum, *Bos apud aceruum*: quod Suidas intelligit de ijs qui fruges in area terunt, sed camo impediuntur, quò minùs quidquam inde gustare queant. Seruorum quoque colla veteres Ethnici, & boum, instrumento cuidã inserebant, (quod Græcis παυσικάπη) ne illi manus ori admouere, aut polentam comedere possent, vt tradit Iulius Pollux l. VII. Onomastici cap. 4. & Hadrian. Turnebus lib. IV. Aduers. cap. 13. & cumprimis Eustathius in Iliad. libro χ. v. 464. De trituræ ratione Plinius libro XVIII. Nat. Hist. cap. 30. Columella lib. II. cap. 21. M. Varro lib. I. de Re rustica, cap. 50, 52. & lib. VI. de Lingua Lat. M. Cato cap. 52. de Re rust. Palladius lib. I. cap. 36.

IBIDEM V.26.

In incertum currere.

Τρέχειν ἀδήλως.

DECVRRERE *ſpatium* prouerbialiter dictum de athletis curſu certantibus, de quo & Virgilius lib.v. Æneid. v. 326. Pertinet huc Senarius Menandri:

Α᾽νὴρ ἄβουλος εἰς κενὸν μόχθει τρέχων.
Curſu laborat imperitus irrito.

Ad Galat. II. v. 2. *Ne fortè in vacuum currerem*, aut *cucurriſſem.*

IBIDEM.

Aërem verberare.

Α᾽έρα δέρειν.

DE opere inani. Cùm enim aër ictum non admittat, fruſtrà proculdubiò laborat, qui percutit aut ferit. Metaphora deſumpta ab athletis, qui quando ictu aberrant, vires fruſtrà in ventum effundunt: qua de re Virgilius Æneid. v. v. 445. Citatur parœmia à D. Chryſoſtomo in Epiſt. ad Tit. III. v. 10 Hom. VI. *Vbi* (aduerſarius veritatis) *omnibus iam manifeſtus erit atque conſpicuus, cur quæſo laboras incaſſum? cur aërem cadis?*

CAP. X. V. 12.

Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.

Ο῾ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω μὴ πέσῃ.

VTEMVR hoc Adagio, cùm homines inſolentes admonituri ſumus, ne ſanctitate efferantur, (vt Rom. II. v. 21. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.*) & infirmiores, qui erratum aliquod commiſerunt, præ ſe contemnant. Rom. XIV. v. 10. *Quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum?* & v. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum?* Fieri enim poſſe, vt Deo manum ſubtrahente, ipſi quoque ijſdem vel atrocioribus vitijs implicentur, quemadmodum vetus monet verſiculus:

Aut ſumus, aut fuimus, aut poſſumus
eſſe quod hic eſt.

S. Iſidorus Peluſiota lib. IV. Epiſt. 14. *Deus lapſis*, inquit, *ſalutarem dextram præbet, & veniam tribuit pœnitentiam agentibus. Alijs enim clamat: Qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat. Alijs autem* (Ierem. VIII. & Amos cap. V.) *Numquid cadens non reſurget? Alijs denique* (Ioan. V. v. 14.) *Ecce ſanus es factus, ne ampliùs pecca.*

Poſſet etiam in illos torqueri, qui aliorum calamitatibus virulenter inſultant, quibus potiùs ad conſiderandam fortunæ volubilitatem induci debebant. Nam ibi quoque, vt Euripides in Archelao apud Stobæum Serm. CV. dixit,

— Ο῞ς ἂν σφαλῇ
Ε᾽ις ὀρθὸν ἕστη· χ᾽ ὁ πρὶν εὐτυχῶν, πιτνεῖ.
— *Qui lapſus eſt*
Erectus ſtat: & priùs felix, cadit.

vel vt Seneca Thyeſte Act. III. Sc. 3. expreſſit:

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimiùm ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſus.

Rectè igitur Menelaus apud Sophoclem in Aiace lorario, v. 1097.

— Α᾽νδρα χρὴ, κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα,
Δοκεῖν πεσεῖν ἂν, κἂν ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ.
Vir quamlibet fortis, ſubinde cogitet
Se cadere poſſe, impulſum ab exiguo
malo.

CAP. XIII. V. I.

Æs resonans, aut cymbalum tinniens.
Χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον.

TINNIENS, id est, inconditum & confusum sonum edens. Quamobrem Chrysostomus hîc annotat Hom. XXXII. in hunc locum: *Factus sum æs sonans, nullo sensu præditum quidpiam & inanimum. Quomodo autem æs sonans? vocem quidem emittens, sed frustrà & temerè, & ad nullum vsum. Nam præterquam quòd nihil efficere, etiam molestiam afferre videor, & multis esse importunus & grauis.* Apion Grammaticus ob garrulitatem dictus est *cymbalum orbis* à Tiberio Augusto, teste Suetonio, libro de Claris Grammaticis, & Plinio in Præfatione Nat. Hist. Olim ille prouerbiali allegoria dicebatur, qui tam vanitate plenus, quàm à probitate vacuus, vt Paulus II. Timoth. III. v. 5. *Habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Tit. I. v. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonũ reprobi.* Sic profani in homines temerè garrulos proferunt illud Zenodoti Δωδωναῖον χαλκεῖον, *Aes Dodonaum*, in Græcis nostris Adagijs; & apud Chiliasten, Chil. I. Cent. I. Adag. 7. Ab hoc diuersum est Græcum Athen. lib. IV. cap. 32. Ἀκρότητον κύμβαλον, *cymbalum quod nullum edit sonum*, de re planè inutili; vel vt alij vertunt, *cymbalum indignũ plausu*, de sermonibus intempestiuis, & nihil ad rem pertinentibus, vt explicare videtur idem Chiliastes in Prouerbio, *Nihil ad Bacchum*, Chil. II. Cent. IV. Ad. 52. S. Isidorus Pelusiota libro I. Epist. 62. *Sermo*, inquit, *qui ad audientium vtilitatem habetur, potens sermo est, quiq́; optimo iure sermo appelletur, imitationemq́; ad Deum habeat At qui voluptate sola & plausu terminatur, æris sonus est, magno strepitu aurem personans.* Et Epistolâ CVIII. Proæresio Scholastico scribens, *Orationum congeriem*, inquit, *habes, vt audio, quibus aures quidem oblectantur, animus autem minimè alitur. At tibi viuo sermone opus est: quo qui caret, nihil aliud est quàm cymbalum tinniens. Quocircà si eum insuper acceperis, canorum ac suaue organum eris, Deoq́; & hominibus concinnum.* Et Epist. CLXIII. *Pulchrè loqui, cymbalo simile est; at probè agere, Angelis innatum est.*

IBIDEM V. 2.

Montes transferre.
Ὄρη μεθιστάνειν.

HOMO innocens, qui Deo rectè fidit; item valens, & qui non exigua est potentia & auctoritate, haud indecenter montes posse transferre dicetur, cùm aliquid admiratione dignum fecerit. Sic CHRISTVS Matth. XVII. v. 19. *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impoßibile erit vobis.* Ita de Gregorio Neocæsariensi Episcopo, Thaumaturgi cognomēto ob miranda patrata, in eius Vita legitur, montes vocis imperio transtulisse.

IBIDEM V. II.

Cùm essem paruulus.
Ὅτε ἤμην νήπιος.

PAVLVS idcircò ista commemorat Corinthijs, vt demonstret se pa-

rum prudentem fuisse ante acceptum Spiritus sancti donum: qui aptè comparat se puero, siue infanti, quòd ea ætas ob rerum inscitiam nihil sapiat, & sic exemplo humani incrementi, spirituale demonstrat. S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 443. Isidoro Diacono: *Quod à diuina mente prædito Paulo dictum est, Loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, de Legis institutione ac disciplina ab eo scriptum est: cuius ratione, vt paruulus loquens, Legem pueris datam seruabat: vt paruulus autem sapiens, Euangelicam doctrinam insectabatur, ac Legem defendebat. Postquam verò factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli: nimirum nec Legem abrogans, & Euangelica doctrina homines imbuens.* Nunc in Prouerbium Apostoli verbũ vbique vertitur, cùm significatur, aliam ætatem alios sibi mores, aliam sibi vitam postulare. & in hanc sententiam citatur à D. Hieronymo in Procemio Comment. in Abdiam Prophetam.

IBIDEM V. 12.

Videre facie ad faciem.

Βλέπειν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον.

ALLVDIT ad Genes. cap. XXXII. v. 30. vbi Iacob ait: *Vidi Deum facie ad faciem.* & ad Moysen, de quo dicitur Exod. XXXIII. v. 11. *Loquebatur ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Deut. v. v. 4. *Facie ad faciem locutus est nobis.* & Nu. XII. v. 8. *Ore ad os loquor ei: palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Sumpta est translatio à speculis, quæ non rem ipsam, sed eius imaginem intuentibus obijciunt. Ac fortassis ad ea respexit Paulus, quæ Physici de phantasia & intelligentia docent. Videtur enim non vna sed duplex esse trãslatio, vna scilicet sumpta ab ijs quæ externis oculorum sensibus, altera ab ijs quæ ipsa intelligentiæ facultate vsurpantur. *Aenigma* enim dicitur obscura oratio, cogitatio, phantasia, & quasi inuolucris quibusdam obtecta oratio: porrò in oculos non incurrit, sed menti obijcitur; vt Paulus fortassis mysteria speculis, verbi prædicationem ænigmati compararit. Neque id tamen simpliciter accipiendum est, quod hîc dicit Apostolus, sed quatenus ista conferuntur cum re præsenti, id est cum ipsius naturæ Dei contemplatione, prout à re creata Deus ipse cerni potest. Sic Iacobus Epist. cap. I. v. 23. *Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit.* Vsurpatur de ijs rebus, quarum memoria vel cognitio aliquantò est obscurior: quo pacto Tyndarus apud Comicum Captiuis Act. v. Scen. 4.

Nunc demum in memoriam regredior, audisse me
Quasi per nebulam. —

& Callipho apud eumdem Pseudolo Act. I. Scen. 5.

Quæ quasi per nebulam nosmet scimus, atque audiuimus.

Bellè autem speculi similitudo ad ministerium verbi, & qualemcumque Dei agnitionem in hac vita conceptã, accommodari potest. Quemadmodum enim, qui propiùs ad speculum accedit, ipsum quidem speculum, & vmbram siue imaginem ex radiorum repercussione ortam, ante se conspicit, ipsam verò rei visæ substantiam à ter-

go habet: ita nos quidem verbi concionem in pręsenti habemus (Rom. x. v. 8. *Prope est verbum in ore tuo.* II. Corinth. IV. v. 6. *Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie* CHRISTI IESV:) sed ipsam Dei maiestatem, quæ in Verbo obscurè reuelata est, à tergo relinquimus, quippe quam in altera demum vita cominus intuebimur. Iob XIX. v. 26. *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Apoc. XXII. v. 4. *Videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus eorum.* Huic vicinum est, quod proximè sequitur: *Vt in ænigmate.* Ad cuius imitationem Porphyrius apud Euseb. lib. IV. Περὶ παρασκ. cap. 9. *Hæc vt mysteria ineffabilia, omnibus alijs sanctiora, mihi occultari velim. Neque enim ipsi Dij apertè, sed tantùm per ænigmata de his vaticinati sunt.* Greg. Naz. Orat. XXVI. quæ est de Moderatione in disputando adhibenda, *Partim*, inquit, *nunc nobis aliquid apparet, partim autem posteà, hoc scilicet virtutis, propensiorisque in Deum animi, seu expressæ illius similitudinis præmium ferens.*

CAP. XIV. V. 9.

In aëra loquentes.

Εἰς ἀέρα λαλοῦντες.

DE ijs qui lingua ignota disserunt, atque idcircò ab auditoribus intelligi nequeant; tum etiam, qui de calamitatibus suis frustrà conqueruntur. Suidas: Ἀνέμῳ διαλέγῃ. Ouidius:

—— *Dat tepidis verba ferenda Notis.*

Similia sunt Adagia veterum: *In vento & aqua scribere. Ventis verba profundere. Fabulari vento.*

IBIDEM V. 38.

Si quis ignorat, ignorabitur.

Εἴ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω.

QVI non vult agnoscere has leges, ait B. Paulus, & potestatem meam, ignorabitur; id est improbabitur à Deo, dicente, *Nescio vos.* Ac si diceret Apostolus: Qui inter vos præditus est intelligentia, is agnoscat, ea quæ dico, à Spiritu Dei proficisci; itaque hæc nostra sedulò obseruet: qui verò ignarus est, ignarus esto, id est, hanc suam ignorantiam agnoscat, neque turbet proximum, sed peritiorum iudicio acquiescat. Vnde enim turbæ magna ex parte, nisi quòd imperiti nolunt imperiti videri, sed peritiorum locum occupant? In Prouerbiũ cessit, in eum, qui quatenùs ignorantissimus est, nullo numero habetur, atque id præmiũ reportat sua inscitia dignum. Ceterùm Gręci hoc loco aliter legentes, ponunt, *Qui ignorat, ignoret.* Hoc est, Qui non vult ista scire, nesciat; id est, suo periculo negligat, spernat, prætermittat. Quale schema illud est Apoc. cap. XXII. v. II. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.*

CAP. XV. V. 8.

Tamquam abortiuo.

Ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι.

ABORTIVO pro abiecto & contempto. ita Theophyl. & Theodoretus. Illustriss. Card. Baronius anno Christi XLIV. censet Paulum vocari *abortiuum*, scilicet Apostolum, eò quòd præter & extra numerum duodecim Apostolorum Apostolus creatus sit: solebant enim Romæ Senato-

res, teste Suetonio in Augusti Vita c.XXXV. abortiui vocari, qui supra numerum per gratiã in Senatum allegebantur. Iam prouerbialiter is dicitur, qui non ritè ad id ordinis peruenit, vt est partus qui intempestiuè editur.

IBIDEM V. 10.

Gratia Dei sum id quod sum.

Χάριτι Θεοῦ εἰμι ὅ εἰμι.

PAVLVS ita seipsum facit gratiæ administrum, vt nihil sibi prorsus tribuat; ex Psalmo LXXXIII. v. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Versiculus non sine Prouerbij specie, quo continetur ordo apud Deũ, & remittendæ pœnæ, & conferendi beneficij; quippe qui primùm pro sua gratia condonat peccata, dein hominem saluum facit. Vtrumque Apostolus in se à Deo collatum mirifice gaudet.

IBIDEM V. 32.

Ad bestias pugnare.

Θηριομαχεῖν.

VSVRPAT Paulus de tyrannis qui persequerentur, idque Ephesi accidisse, vt & B. Ignatius Martyr Epist. ad Rom. terra mariq̃ue cum bestijs se depugnasse ait. Paulus rursum II. Timoth. IV. v. 17. se de leonis ore liberatum gaudet.

IBIDEM.

Edamus & bibamus, cras enim moriemur.

Φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.

SENTENTIA Pauli hæc prouerbialis desumpta est ex Isaiæ cap. XXII. v. 13. Sap. II. v. 6. *Fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter,* &c. Huius securitatis fons est Epicureismus & Atheismus, quo præpediti atq; occæcati securiter eludunt omnia, (è D. Chrysostomo hîc Hom. XL.) neque aliam vitam restare credunt, sed animam vnà cum corpore extingui. Sapientiæ c. II. v. 2. *Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus.* quasi dicat, Nobis moriendũ est, vt Cicero in Catone maiore, neque quidquam ampliùs hinc absportabimus. Idem symbolum sepulchro suo incidi voluit Sardanapalus apud Athenæum lib. VIII. cap. 7. & Strabonem lib. XIV.

Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, τὸν θυμὸν ἄεξε
Τερπόμενος θαλίῃσι· θανόντι σοι οὔ τις ὄνησις.

Cùm te mortalem noris, præsentibus exple
Delicijs animum: post mortem nulla voluptas.

Et alter eiusdem gregis apud Athenæum lib. VIII. cap. 7. Latinè sic:

Hoc omnibus do consilij mortalibus,
Vt suauiter in diem viuant: nam mortuus
Nil est, vt vmbra tantũ subterranea.
Quare, breui vita decet viuos frui.

Vide Euripidem Oreste v. 1086. & Alcestide v. 782. 788. &c. Sic Plautus in Bacchidibus circa finem:

——— PH. *Potandum est,* &c.
— BA. *Non tibi venit in mentem, amabò, si dum viuas,*
Tibi benè facias, iam pol id quidem esse haud perlonginquum:
Neque, si hoc hodie amiseris, pòst in morte id eventurum esse vmquam?

Et Poëtæ Satyrici: vt Martialis lib. I. Epigr. XVI.

Sera nimis vita est crastina; viue hodie.

Hora-

Horatius lib.I.Carm.Oda IV.VII.IX. XI.præſertim lib. I.Serm.Sat.VI.v.96.

Dũ licet,in rebus iucundis viue beatus.
Viue memor,quàm ſis æui breuis. —

itemque Perſius Sat.v. v.151.

Indulge genio: carpamus dulcia: noſtrum eſt
Quod viuis: cinis,& manes,& fabula fies.
Viue memor lethi. ———

Huiuſmodi itaque Adagijs vti non licet Chriſtianis.

IBIDEM V. 33.

Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί.

MENANDRI Comici ſenarius eſt, teſte Hieronymo ad Titum cap. I. & ad Galat.cap.v. & Epiſt. ad Magnum oratorem Romanum, *Paulus*, inquit, *Apoſtolus in alia quoque Epiſtola, Menandri ponit ſenarium,*

Φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί.

Quod idem Hieronymus Epiſt. ad Nepotianum ſic vertit: *Corrumpunt mores bonos, confabulationes peßimæ.* ex illo Tertulliani l.II.ad vxorem,c.3. *Bonos corrumpunt mores confabulationes prauæ.* Nos ſic numeris aſtringebamus:

Mores bonos fœdant colloquia peßima.

Vel:

Mores bonos conuictus inficit malus.

Similis eiuſdem Menandri:

Κακοῖς ὁμιλῶν, καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.
Si cũ malis verſeris,& ipſe eris malus.

Citatur à Clemente Alex. l.I.Strom. Euſebio lib.VI.Præp.Euang.cap.6. & lib. VIII. cap.9. Chryſoſt. ad Hebr. Hom.XX. & II.Theſſ.I. Hom.III. Iuſtino Martyre in Epiſt. ad Zenam & Serenum, Nicephoro lib.X. Hiſt. Eccleſ. cap. 26. & D. Auguſtino in Serm.de Reſurrect.mort. In B.Hieronymo citatur Menandri ἐν Θαδίᾳ, *in Thadia.* Recentiores ſuſpicantur legendum, ἐν Θαΐδι, *in Thaide*, quòd Athenæus l. XIII. c.20.teſtetur, Menandrum eius nominis Comœdiam poſt ſe reliquiſſe. Naumachius totum hunc ſenariũ,paucis mutatis,ad muliercularum colloquia inflexit v.56.

Κεδνὰ κακοὶ φθείρουσι γυναικῶν ἤθεα μῦθοι.
Corrũpit ſanos nõ ſana oratio mores.

Proximè accedit Æſchyli verſus in VII. ad Thebas v.605.

Ἐν παντὶ πράγει ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
Κάκιον οὐδέν. ———
In omnibus rebus, malis congreßibus
Nil peius eſt. ———

Gregorius Nazianzenus in Tetraſtichis v 190.

Κακοῖς ὁμιλῶν, ἢ κακὸς πάντως ἔσῃ.
Iũctus malis omnino redderis malus.

De Latinis Iuuenalis Sat.II.v.80.

— *Dedit hanc contagio labem,*
Et dabit in plures, ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci:
Vuáque conſpecta liuorem ducit ab vua.

& M.Varro apud Noniũ: *Sæpè vnus puer improbus atque impurus inquinat gregem puerorum.* Antonius Monachus in Meliſſa libro II. c. 36. allegat dictum Cyrilli: *Improbis conuiuere noxium eſt, & vituperatione dignum.* & alterum D.Baſilij: *Pernicioſæ ſunt malorum congreßiones. Vt enim in peſtilentibus locis paulatim aër immiſſus morbum occultè illic degentibus incutit, ſic improborum conſuetudo multa mala importat, etiamſi calamitas non*

statim sentiatur. Apud Ethnicos quoque Xenophon lib. II. Ἀπομνημον. *bonorum hominum conuersationem, exercitium virtutis; prauorum autem, eiusdem destructionem* nominat, addito carmine Theognidis v. 35.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι. ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Si iungare bonis, disces bona: rursus, iniquis
Iunctus, & id perdes, quod tibi mentis inest.

Seneca l. III. de Ira, *Sumuntur*, inquit, *à conuersantibus mores. Et vt quædam in contactis corpore vitia transibunt, ita animus mala sua proximis tradit,* &c. E contrario haud minùs prouerbialiter dici potest, *Corrigunt malos mores bona colloquia*, cùm ad vtrumque æquè valeat ipsa oratio.

CAP. XVI. V. 9.

Ostium mihi apertum est magnum.
Θύρα μοι ἀνέῳγε μεγάλη.

EODEM hoc Prouerbio vtitur Diuus Paulus II. Cor. II. v. 12. *Ostium mihi apertũ esset in Domino.* & Col. IV. v. 3. *Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium* CHRISTI. Vtuntur quibus ampla materia, vel commoda & præclara occasio rei benè gerendæ suppeditata est. Sic Latini dicunt, *Fenestram patefacere.* vt Terent. Heaut. Act. III. Scen. 2.

Quantam fenestram ad nequitiam patefeceris.

vel vt propiùs ad Græcũ accedamus, *Fores aperire*, pro aditum ad causæ alicuius cognitionem parare, vt apud Plin. l. II. c. 8. Plutarchum Symposiac. lib. II. Quæst. III. & contra Coloten.

II. CORINTH.

CAP. I. V. 7.

Socij passionum, etiam consolationis.
Κοινωνοὶ τῶν παθημάτων, καὶ τῆς παρακλήσεως.

HANC Pauli sententiam ex iustitiæ penetralibus depromptam, vulgus hodie in ore passim habet, cùm significat, aliquos esse debere participes præmij, in quo acquirendo vnà cum alijs laborarint. Ita Paulus suis Corinthijs dat animum ad perferendas calamitates.

CAP. II. V. 17.

Adulterantes verbum Dei.
Καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ.

QVOD Græcè sit καπηλεύοντες, quidã verterunt *cauponantes*, quod explicat Paulus cap. IV. v. 2. δολοῦντες, *dolosè vtentes*, hoc est, non fideliter CHRISTI doctrinam tradentes, sed quæstuosè. *Cauponari* autem propriè significat vinum aquâ suffusâ perdere, vt ait Chrysostomus ad hunc locum. Huc pertinet senarius, quem Suidas è Cyclope Aristij veteris Tragici allegat:

Ἀπώλεσας τὸν οἶνον, ἐπιχέας ὕδωρ.
Vini liquorem perdidisti, infusâ aquâ.

Nicostratus in Conterraneis:

Ὁ κάπηλος, ὁ ἐκ τῶν γειτόνων
Ὁ κατάρατος, δοὺς ὕδωρ.
Hic caupo, qui vicinus est
Nefarius, præbens aquam.

Sic & Isaiæ c. I. v. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua.* Vbi duo indicãtur Adagia, sanæ doctrinæ fidei corruptio, & prædicatio quoad mores vitiosa, vel

ex metu, vel adulatione, vel lucri cupiditate. Sic explicat Procopius in Gen. cap. XLIX. in princ. Ambrosius lib. X. in Lucam, & Serm. XI. in Psalmũ CXVIII. Chrysost. Tom. V. Sermone Aduers. hæret. Hieronymus, Basilius, Cyrillus, Haymo, & Rupertus hîc, qui vno consensu docent, in hæreticos Prouerbium quadrare, qui falsis commẽtarijs, versionibus, additionibus, detractionibus, immutationibus, fœda cauponatione pro mero cœnosam aquam obtrudunt. Legendi hîc Irenæus lib. IV. cap. 25. Tertull. de Anima cap. 3. Origenes Homil. III. in cap. III. Leuit. S. Maximus Sermone LXXVIII. qui & Iudæis accommodat CHRISTVM non suscipientibus. Basilius verò etiam concionatoribus, ad gratiam & ostentationem, non ad morum vtilitatem verba facientibus, accommodat. Consimili modo quo anteà Isaias, S. Paulus hoc loco dicit Pseudoapostolos adulterare seu cauponari verbum, quòd merum Euangelij perfidè corrumpant, & in muneris administratione nihil aliud quàm suum spectent commodum, vt Nazianzenus in Apologetico, *Non enim sumus*, inquit, *sicut plurimi, adulterantes verbum veritatis, & miscentes vinum aquæ, cum videlicet sermonem, qui lætificat cor hominis, alteri qui vulgaris est & vilis, & ex humo tractus, & temerè effluens, vt ipsi quoque aliquid iniquè lucrentur ex tali nundinatione.* Eidem huiusmodi doctores sunt χριστοκάπηλοι, quòd ipsum CHRISTVM cauponẽtur, vel sui tantùm lucri causa prædicent. Sic apud Ethnicos Herodianus lib. VI. *Pacem auro cauponari.* Æschylus è contrario in VII. ad Theb. v. 551. quod Cicero I. Offic. verbis Ennij reddit, *cauponari bellum. Non cauponantes bellum, sed belligerantes.* Et Lucianus in Hermotimo.

CAP. IV. V. 7.

Thesaurus in vasis fictilibus.

Θησαυρὸς ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν.

PRÆ anima, qua viuimus, rectè corpus testaceum vas existimari potest, cuius singula membra, vt Plato in Timæo & in Philebo præclare docet, idcircò Deus ad animæ singula officia accommodauit. Quadrabit allegoria, cùm volumus ostendere humanum corpus valdè imbecillum, & nihil esse aliud, quàm lutum animæ calore solidatum. Tolle animam, corpus in lutum, ex quo formatum est, redibit, vt Ecclesiasticus cap. XVII. v. vlt. *Qui in puluerem & cinerem desinent.* & Iob cap. XXXIV. v. 15. *Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur. Ipse cognouit*, inquit Propheta Dauid Psal. CII. v. 14. *figmentum nostrum: recordatus est, quoniam puluis sumus.* Ita Chrysostomus: & B. Augustinus lib. V. de Ciuitate Dei, cap. 3. cur Nigidio *figuli* cognomentum sit datum docet, quòd hominem *vas fictile* diceret. M. Tullius Actione in Verrem VI. *Tum illos cœpisse Prætori dicere, putasse se id quod audissent alicuius pretij scyphos esse Pamphili. Luteum negotium esse, non dignum quod in suo argenteo Verres haberet.* Et *luteum hominem* appellat contemptum, nulliusque pretij, interdum ipsum *lutum* in Orat. ad Pisonem, *Fictus ex argilla & luto homulus.* Abijt & in Prouerbium Κεράμιος ἄνθρωπος, *fictilis homo.* Accommodari quoque potest simplicitati Sacra-

rum

rum litterarum, quæ iam olim sapientia sæculari eruditos offendit atque auertit. Lactantius Firmianus lib. VI. Diuin. Institut. cap. 21. *Homines litterati*, inquit, *cùm ad Dei religionem accesserint, ab aliquo imperito doctore fundati minùs credunt. Assueti enim dulcibus & politis, siue orationibus, siue carminibus, diuinarum litterarum simplicem communemq́; sermonem pro sordido aspernantur*, &c. & in Epitome earumd. cap. 5. *Inde est*, inquit, *quòd scriptis cælestibus, quia videntur incompta, non facilè creditur; aut quia ipsi sunt diserti, aut diserta legere volunt, nec quærunt vera, sed dubia: imò illis hæc videntur verissima esse, quæ auribus blandiuntur*, &c. eiusque magister Arnobius lib. I. Aduers. Gentes. Plura S. Isidorus Pelusiota lib. II. Epist. 4. *Diuinæ*, inquit, *sapientiæ opes in sacrosanctis Scripturis habemus, vilibus & abiectis atque indoctis verbis & exemplis inclusas.* & proximè Epist. seq. & lib. IV. Epist. 91. vbi de admirando & sapientissimo temperamento facilitatis & obscuritatis Sacrarum litterarum conuenientia Augustino, Prospero, alijsque SS. Patribus scripsit Ep. 82.

CAP. VI. V. 10.

Nihil habentes, & omnia possidẽtes.

Μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες.

NON absimile illud Terentij Eunucho Act. II. Scen. 2 *Omnia habeo, neque quidquam habeo: nihil cùm est, nihil desit tamen.* Sic Libanius Declam. XI. in Parasitos: Ἐπλούτουν οὐδὲν κεκτημένος, ἐτρύφων οὐδὲν ἀναλίσκων. Qualis fuit vita Pauli & Apostolorũ, nimirum talis, qualem cœnobitarum ac Religiosorum (quales quorumque parentes fuerunt Apostoli) vitam esse tradit Nazianzenus Orat. I. de Pace. *Vita*, inquit, *eorum, sunt opes in egestate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu*, &c. Talis apud Seuerum Sulpicium Vita integra S. Martini. De S. Augustino memorat Possidonius, cùm morti esset proximus, nullumque testamentum condidisset, *Quia*, inquit, *vnde conderet pauper* CHRISTI *non habebat*. cùm tamen è primis fuerit Ecclesiæ columnis & Doctoribus. De Exuperio autem Tolosæ Episcopo ita scribit S. Hieronymus: *Esuriens*, inquit, *pascit alios, & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena.* S. Paulus vult significare, inter aliquos esse rerum vitæque communitatem. Ita id commune omnium verbum fuit Apostolorum, atque aliorum Christianorum, qui Reipublicæ nostræ fundamenta iecerunt. Testis Lucas Actor. II. v. 44. *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.* id est, quidquid quispiam in bonis haberet. Idem firmamentum diuinus ille Plato suæ ciuitatis posuit, voluitque ea verba ita efferri, *Meum ac non meum*, ac vt Adagium ciuium aures personare. Quare facit Socratem in lib. V. de Repub. cum Glauco de ipsâ re loquentem. Ex quo, quæ naturæ olim communia fuere, posteà quisque sua esse cupierunt, pro illisque semper conflictati sunt. Vnde Seneca lib. VII. de Beneficijs, cap. 4. & 6. *Non ideò quod habeo meum non est, si tuum est. Potest enim idem esse meum & tuum.* & alibi: *Quietissimè viuerent homines, si duo verba è medio tollerentur, Meum & Tuum.* Sic & S. Chrysostomus Orat. de S. Philogonio: *In cælo non est Meum ac Tuum, frigidum*

illud

illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram inuehens, innumeráque gignens bella.

IBIDEM V. 14.

Quæ societas luci ad tenebras?

Τίς κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος;

HAC vtitur prouerbiali sententia Tertullian. de Spectaculis c. 26. *Quid luci cum tenebris?* & Aduers. Hermog. cap. 13. *Quæretur iterùm, an in bono & malo potuerit conuenire luci & tenebris, dulci & amaro.* Vnde Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. c. 6. *Inter lucem & tenebras nihil est intermedium.* Et paulò pòst: *Luce tenebras deleri necesse est.* Hinc ortum duxit hæc interrogatio prouerbialis, vicina ei quam ex Epicharmo citat Stobæus Serm. xc.

Τίς τῷ κατόπτρῳ καὶ τυφλῷ κοινωνία;

Quænam speculo cæcoq; sit cõmunio? vel:

Cæcutienti & speculo quæ communio est?

Vsurpatur de planè contrarijs, aut de rebus dissimilibus & incongruentibus. Affinia sunt, *Quid paleis ad triticum?* Ierem. XXIII. v. 28. *Quid, quæso, scuto & scipioni conuenit?* Athen. lib. v. cap. 20. *Quænam specillo & ensibus communio est?* &c. *Quid lecythus aut vas olearium & strophium? Quæ delphini & boui communio est?* Explicat S. Isidorus Pelusiota lib. IV. Epist. 220. adducens & illa Pauli verba Rom. XII. v. 18. *Cum omnibus hominibus pacem colite, si fieri potest.* Simile Eccli. c. XIII. v. 21. *Si communicabit lupus agno aliquando.* De animaliũ mira quorumdam antipathia Plinius lib. x. cap. 74. Aristoteles lib. IX. Hist. cap. 1. sed Oppianus lib. III. Cyneget. & Philes in Iambis, referunt de oue & lupo. Hinc intelliges Horatianum illud in Epod. Oda IV.

Lupis, & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

Varia Prouerbia huc pertinent, vt Aristophanis in Pace:

— Πρὶν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.
Priùs lupus ouem ducat vxorem.

Plautus in Pseudolo:

Vt malis lupos apud oues linquere,
Quàm hos domi custodes.

Terentius in Eunucho: *Scelesta, ouem lupo commisisti.* Cicero Philip. III. *O præclarum custodem ouium, vt aiunt, lupum!* Suidæ Prouerbium est: Πρὶν καὶ λύκος οἶν ποιμανθῇ: *Priùs lupus ouem pascet.* quod Homero quoque non ignotum Ἰλιάδ. χ. v. 262. Quod in Ecclesiastico sequitur, *Quæ communicatio sancto homini ad canem?* eódem pertinet. Græcè est: Τίς εἰρήνη ὑαίνῃ πρὸς κύνα; *Quæ pax hyænæ ad canem?* sensus autem est, hominem sanctum nihil habere commune cum cane, hoc est cum homine iniusto, & impudenti peccatore. Eccli. XIII. v. 22. Ad quem locum plura congerit P. Mart. Delrio de hyæna & canibus.

IBIDEM V. 15.

Quæ cõuentio CHRISTO *ad Belial?*

Τίς συμφώνησις ΧΡΙΣΤΩι πρὸς Βελίαλ.

ADAGII huius vsus qui præcedentis est. vulgò à Poëta vsurpatur:

Non benè conueniunt, nec in vna sede morantur,
CHRISTVS *& oppositus Belial.* —

In Sacris litteris *filij Belial*, improbi nominantur, vt in nouo Testamen-

to, Actor. XIII. v. 10. *Filij diaboli. Belial* autem Hebræis idem quod *nequam* Latinis. De hac voce *nequam* Gellius lib. VII. Noct. Attic. cap. 18. Hieronymus l. VIII. in Isaiæ c. XXVII. v. 1. Chrysostomus & Theophylactus ibid. reddiderunt ἀποστάτην *apostatā*, quòd proprium diaboli est transfugere & nocere. Iob XLI. v. 22. *Feruescere faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cùm vnguenta bulliunt.* Ioan. VIII. v. 44. Diabolus *homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* & 1. Pet. v. v. 8. *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.*

CAP. IX. V. 6.

Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

Ὁ σπείρων φειδομένως, φειδομένως καὶ θερίσει: καὶ ὁ σπείρων ἐπ' εὐλογίαις, ἐπ' εὐλογίαις καὶ θερίσει.

DESVMPTVM ex Prouerb. c. XXII. v. 8. *Qui seminat iniquitatem, metet mala.* Sic & S. Paulus ad Galatas cap. VI. v. 7. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Dauid quoque in eamdem sententiam Psalmo CXXV. v. 5. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Et Cicero lib. II. de Orat. *Vt sementem feceris, ita metes*; id est, reportabis præmiū tuis factis dignum. Plautus in Epidico:

Sed vt acerbum est, pro benefactis
cùm malam messem metas!

id est cùm pro beneficio maleficium reportes. Et apud Platonem: *Quàm hic messem facturus est? haud sanè bonam.* Prouerbia duo hæc contraria, quibus & beneficentia commendetur in hilaritate spiritus. Tracta metaphora ab eo qui fruges serit, si eas minùs affluenter sparserit, nequaquam plena manu colliget. Eâ Paulus Adagionis loco vtitur, vt eos ad largitiones inopibus faciendas promptiores reddat, cùm minus præmij ille sit à Deo accepturus, qui minus dederit. *Seminare* autem Hebræis interdum idem est quod eleëmosynas distribuere. Ps. CXI. v. 9. *Dispersit dedit pauperibus.* Dicunt etiam eodem sensu, quasi ad iustitiam: vt Oseæ cap. X. v. 12. *Seminate vobis in iustitia*, id est, benignè & largiter. & Ioel. II. v. 3. *Descendere faciet ad vos imbrem matutinum*, id est, largè, prolixè, copiosè. sequitur in Osea: *Et metite in ore misericordiæ*, id est, quàm largissimè; nam benignitas plus est quàm iustitia. Idem suadet Sapiens Eccles. II. v. 1. *Mitte*, inquit, *panem* (eleëmosynam) *tuum super transeuntes aquas*, id est pauperes, qui in hac vita viuentes, præterfluunt vt aquæ, (II. Reg. XIV. v. 14.) *quia post tempora multa inuenies illum.* Nos autem metaphora tam prouerbiali commodè vti possumus in minimè liberalem, qui nimiùm parcè omnia faciat, vnde ei nihil exspectandum sit, vt gratia vlla referatur.

IBIDEM V. 7.

Hilarem datorem diligit Deus.

Ἱλαρὸν δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός.

DOCET Sacrificia (Exodi XXXV. v. 5.) voluntario & prono animo danda. Sic Dauid Psal. LIII. v. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi.* & eleëmosynas elargiendas esse, Tobiæ IV. v. 9. Rom. XII. v. 8. Vice Prouerbij sermone

ne vulgatum demonstrat, id munus Deo effecum primis acceptum, quod vltrò datur, vtpote qui non æquè rem atque animum dantis ponderat. Ea quidem ratione CHRISTVS duo minuta, quod est quadrans, à paupercula vidua in gazophylacium missa pluris æstimauit, quàm diuitum dona, vt extat apud Marcum cap. XII. v. 43. Citatur Prouerb. XXII. v. 9. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi.* Pulchrè S. Augustinus in Psalmum XLII. *Si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti.* & D. Chrysostomus Hom. in dictum Pauli, *Oportet hæreses esse*; *Si alacriter*, inquit, *demus, duplex erit eleëmosyna, & quia damus, & quia hilariter damus.* Nazianzenus Orat. de Cura pauperum: *Qui hilari vultu miseretur, is promptitudine sua beneficium duplicat. Nam quod ex molestia vel necessitate proficiscitur, nihil gratiæ vel ornatus habet.* Vnde Eccli. XXXV. v. 11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Charites seu Gratias Ethnici nudas finxerunt pinxeruntque, vt Hesiodus in Theogonia vers. 909. veluti tres sorores mutuò se amplectentes. Prima *Aglaia*, generositatem significans: melius est enim dare, quàm accipere. nam beneficium qui accipit, libertatem vendit. Si enim dederit vt recipiat, iam illud, sicut Tullius ait, desinit esse beneficium: sin verò non dederit, nisi precibus fatigatus ac inuitus, & id secum remunerationem fert; nimis enim care emit qui rogat. Quapropter rectè monet Ausonius:

Si benè quid facias, facias citò, nam citò factum
Gratū erit, ingratū gratia tarda venit

Vnde Prouerb. III. v. 28. scriptum est: *Ne dicas amico tuo: Vade, & reuertere: cras dabo tibi: cùm statim possis dare.* Secunda *Thalia* nuncupatur, id est, in medio florens cursu. Tertia *Euphrosyne*, gaudium indicans: lætatur enim in beneficijs qui dat, & qui accipit. Vide Senecam de Beneficijs lib. I. cap. 3. & 4. & Isidorum Pelusiotam nostrum Epist. 331.

CAP. X. V. 18.

Non qui seipsum commendat, ille probatus est.

Οὐχ ὁ ἑαυτὸν συνιστῶν, ἐκεῖνός ἐστι δόκιμος.

IVDICIVM nostrum falli tam potest, quàm nos honoris & laudis nimia cupiditas capere. Sancti autem subinde seipsos commēdarunt, vt Ezechias Isaiæ XXXVII. v. 3. *Obsecro*, inquit, *Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Et S. Paulus II. Cor. XI. v. 22. & seqq. sua enarrans præclarè gesta seipsum commendat. & II. Timoth. IV. v. 7. *Bonum*, inquit, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Aureum & illud S. Francisci, ac Thomæ de Kempis lib. III. c. 50. *Tanti quisque erit, quanti apud Deum æstimatur.* Ad hunc sensum vel illud ex Parabolis Salomonis rectè accommodatur: *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Gloria autem est fructus virtutis, vt Cicero ait, quam honesti pariunt labores: vnde ex Sapientiæ libro illud velut oraculum vulgò circumfertur: *Bonorum operum gloriosus est fructus.*

Quo pacto Euripides in Licymnio dixit apud Stobæum Serm.xxix.

Πόνος γὰρ, ὡς λέγουσιν, εὐκλείας πατήρ.
Labor, quod aiũt, gloriæ existit pater.

CAP. XII. V. 2.

Deus scit.
Ὁ Θεὸς οἶδεν.

VTIMVR hoc Adagio quotidie, cùm quid certò asserere recusamus aut ignorare nos fingimus, sed Deũ nihil fugere asserimus. Sic enim Paulus: *Quia non diligo vos? Deus scit.* Expressit & Nazianz. Orat.xxvi. initio, quæ est de Moderatione in disputando seruanda. *Quod*, inquit, *rectóne iudicio ac ratione, an animi maleuolentia & contentionis studio fiat, nescio: Deus scit*, inquit *Apostolus, idq́ue reuelationis dies perspicuè declarabit, ignisq́ue ille postremus, quo nostra omnia expendentur aut purgabuntur.* In Scriptura frequens formula, *Domine tu scis.* Ierem.xvii.v.16. Apoc.vii.v.12.

IBIDEM V. 9.

Virtus in infirmitate perficitur.
Ἡ δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται.

QVò nostra tabernacula infirmiora sunt, eò magis elucet in illis virtus CHRISTI, cùm nullis periculis aut laboribus frangantur, vt suprà cap.iv. v.7. *Vt sublimitas sit virtus Dei, & non ex nobis.* Hinc igitur iam sermone vulgatum, vt dicatur virtus alicuius per infirmitatem perfici, hoc est consummari, cùm supra vires pressus fortiter ferendo labores superat omnes. Porrò vt optimum nauis gubernatorem tempestas, ita res aduersæ hominis virtutem probant. Citatur loco Adagij à D. Hieronymo in Procemio secundi libri Commentar. in Amos. S. Augustinus de Gratia CHRISTI cap.xii. & Anselm. *Fortitudo*, inquiunt, *nostra, est infirmitatis in veritate cognitio, & in humilitate confeßio.* Idem exemplum de se narrat S. Augustinus lib.viii. Confess.c.11. *Cùm diceret*, inquit, *mihi consuetudo violenta, Putásne sine istis* (concubinis quibus iam assueuisti) *poteris* (viuere) *aperiebatur ab ea parte qua intenderam faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas conscientiæ*, &c. mox addit: *Proÿce te securus, excipiet te, & sanabit te.* Et Hieronymus ad Ctesiphontem: *Hæc vna præsentis vitæ perfectio est, vt te imperfectum agnoscas.* Explicat de CHRISTO incarnato S. Isidor. Pelusiota lib. 1. Epist. 428.

AD GALATAS.

CAP. I. V. 10.

Si hominibus placerem, CHRISTI *seruus non eßem.*
Εἰ ἀνθρώποις ἤρεσκον, ΧΡΙΣΤΟΥ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην.

BEATVS Paulus iam inde ab initio testatus est se neque ab hominibus, neque per hominem esse Apostolum. Simile ad Ephesios c.vi.v.6. *Non ad oculum seruientes, quasi placeant hominibus, sed vt serui* CHRISTI. Notant autem S Hieronymus & Anselmus ἀνθρωπαρέσκειαν, id est studium placendi hominibus, in ijs qui auram popularem aucupantur religionis ac charitatis nomine. De quibus Vates Regius Psal.lii.v.6. *Deus dißipat ossa eorum, qui hominibus placent.* Et sæpè eius filius Salomon in Hymnis nuper reper-

repertis & euulgatis Lugduni Galliæ à P. nostro Lud. de la Cerda. Quam sanè vocem vt prouerbialem non-nemo modò in ore habet, cùm de sua ipsius conscientia prædicat. *Homo*, inquit Augustinus, *hîc non placet vtiliter, nisi cùm propter Deum placet.* Piè S. Hieronymus, *Gratias*, inquit, *ago Deo, quòd dignus sum quem mundus oderit.* & Gregorius cognomento Theologus Orat. XXXI. in illud Euangelij Matth. XIX. v. 1. *Cùm consummasset Iesus hos sermones, Si*, inquit, *creaturam colerem, Christianus vtique non appellarer.*

CAP. II. V. 2.

In vacuum currere.

Εἰς κενὸν τρέχειν.

DICITVR de hominibus temerarijs, qui certum finem aut scopum animo propositum non habent, sed in studijs vel actionibus suis temerè ac sine fructu versantur. Sic 1. Corinth. IX. v. 6. *Currere propter aliquid quod non sit.* Tractum, vt arbitror, è veterum ludis, vbi iuuenes cursu inter se certabant, præfixo certo quodam spatio, quod qui primus attigisset, victor designabatur: ideoque necesse erat, vt quamprimùm è carceribus emissi essent, neglectis omnibus alijs ad metam illam rectà contenderent, ne seipsos optato præmio frustrarentur. Sic 1. Corinth. IX. v. 24. Οὕτως τρέχετε, ἵνα καταλάβητε. *Sic currite, vt comprehendatis.* Virgilius Æneid. V. v. 326.

Transeat elapsus prior, ambiguúmque relinquat.

De Ludis autem cùm Græciæ tùm Circensibus Romæ multa Petrus Faber I. C. in Agonisticis, & Carolus Paschasius lib. de Corona VI. collegerunt. Huc pertinet quoque senarius Menandri:

Ἀνὴρ ἄβουλος εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων.
Cursu laborat imperitus irrito.

IBIDEM V. 11.

Resistere in faciem.

Κατὰ πρόσωπον ἀντιστῆναι.

A RIXANTIBVS ducta translatio, ac in tritũ sermone Prouerbium recepta, in eos qui sine procacitate inter se de re disputant, quòd videantur velle in faciem proruere, id est, vt vulgò dicimus, *in os, in barbam.* D. Hieronymus legit *secundùm faciem*, vt facies reprehensionis speciem exhibeat. At Ambrosius *in facie* interpretatur, vt sic Apostolica non frangatur modestia, hoc est, coràm. Hieronymus contra Augustinum super hoc loco copiosè disseruit, quæ huc non adferam, sed suo legi loco in Epistolis mandabo: nostrum non est ferre sententiam. Ipse quoque Augustinus ad Hieronymum Epist. VIII. & IX. super hac re ad Hieronymum disseruit (Tom. II.).

IBIDEM V. 14.

Rectè ambulare.

Ὀρθοποδεῖν.

QVI non claudicant, rectà dirigunt gressum, non cespitant, neque ad dexteram neque ad sinistram deflectunt. A quibus natum est hoc, quod iam tritum est vetustate Prouerbium, de viro aperto, simplici, & tam veritatis cultore, quàm fraudis inimico, qui nihil insidiosè facit, neque putat agendum: vt *pes* pro opera, mente

mente & voluntate ponatur. Sæpè in S.Scriptura *ad dextram & sinistram ambulare* occurrit, de ijs qui à via aberrant: & Pythagoræ est symbolum, partim affirmatè, partim neganter expressum, de regiâ viâ ambulantibus. *Claudicare in duas partes*, III. Regum XVIII. v. II. contra nostri sæculi Politicos, Atheos ac Dubitantios. Elias enim, *Vsquequò*, inquit, *claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* De lege Solonis aduersus neutrius partis in factione ciuili, diximus ad illud CHRISTI Matth. XII. v.30. *Qui non est mecum, contra me est.* Græci vnica proferunt voce, in vtramque claudicare partem, ἀμφιχωλεῖν. sic Homerus Ἰλιάδ. ν. v.280.

Non huic firma satis mens est in pectore, verùm
Claudicat, inq; pedem residet proclinis vtrumque.

Psal. XVII. v.46. *Claudicauerunt à semitis suis.* De hoc hominum genere B.Paulus Ephes. IV. v. 14. hortatur ne simus *vt paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris.* Simile apud Macrobium Adagium Ciceroni obiectum, *Duabus sellis sedere.*

CAP. IV. V. 14.

Sicut Angelum Dei.

Ὡς Ἄγγελον Θεοῦ.

SIMILIA adferuntur I. Reg. XXIX. v.9. Esther XV. v. 16. Zach. XII. v.8. Actor. VI. v. 15. *Tamquam faciem Angeli.* Sic & *lingua Angelorum* I. Corinth. XIV. v. I. quasi diuinam dicas. Quidquid enim in re quaque maximum est & præstantissimum, id Dei esse dicitur in sacra Scriptura, vbi innumerabilia occurrunt.

CAP. VI. V. 2.

Alter alterius onera portate.

Ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε.

METAPHORA à iumentis sumpta, quòd muliones soleant onera debilioribus iumentis adempta, fortioribus imponere, qua vtitur Apostolus, & in Prouerbium iam quondam abiuit. S. Isidorus Pelusiota libro III. Ep. 410. *Qui paruum vitium minimè suffert, is nec maxima virtute perfruitur, nec CHRISTI legem, hoc est, charitatem explebit.* Significat autem debere nos vicissim iuuare, infirmitatum mutuarum pondera ferre, ea vicissim tolerando, eis compatiendo. Vnde Basilius in Reg. breuioribus Reg. 178. *Peccatum est onus graue, animam premens, imò deprimens & detrahens ad infernum. Hoc onus vicissim alij ab aliis tollimus, quoties operam damus, vt hi qui peccauerunt & lapsi sunt, resipiscãt.* At ex altera parte Pauli præscriptum admonet, non licere sui commodi causa nocere alteri. Cicero III. de Officijs hoc charitatis officium præclarè explanat, inquiens: *Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quã dolor, quàm cetera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis: nam principio tollit conuictum humanum, & societatem.* Respexit Orator ad illud Comici Afri in Andria, Act. IV. Scen. I.

Hoccíne credibile est, aut memorabile,
Tanta vecordia innata vt cuiquã siet,
Vt malis gaudeant, atque ex incõmodis
Alterius sua comparent vt commoda?

IBI-

IBIDEM V. 4.

Opus suum probet vnusquisque.

Τὸ ἔργον ἑαυτοῦ δοκιμαζέτω ἕκαστος.

QVISQVE non lapsum, vitam, mores, opera alterius examinet, vt instar Pharisæi, considerans publicani vitam, putet se præ eo sanctum esse: neque enim materiam sanctæ & iustæ gloriæ inuenit, quisquis seipsum explorat; sed quisquis sese ita gerit, vt meritò sese omnibus approbet. Hanc nobilem Apostoli sententiam iam olim vulgus in Prouerbij consuetudinem traxit, cùm vellet innuere, neminem debere factum suum impugnare. Sed longiusculè adhuc trahitur, & pro eo circumfertur, quod est rem debere delectare auctorem. At Apostolus id agit, vt si qua animi aut corporis dote alios antecedas, non de ea causa ex contemptui habeas, sed potiùs tecum tacitè gloriere, quòd talis sis, atque sic opus tuum probabis, illudque Deo acceptum referes. Pulchrè hîc S. Hieronymus: *Sensus iste est, Tu qui te æstimas spiritualem, & de alterius infirmitate robustior es, non debes imbecillitatem iacentis, sed tuam fortitudinem considerare,* &c.

IBIDEM V. 7.

Quæ seminauerit homo, metet.

Ὃ σπείρῃ ἄνθρωπος, θερίσει.

METAPHORA generaliter ad quascumque actiones tam rectas quàm prauas, & dignos earum fructus, cumprimis verò ad extremũ iudicium, vt plenissimam factorum omnium messem, referri potest. Ibi enim, vt Venantius Honor. Fortunatus l. IV. de Extr. iud. v. 23. monet,

Mox aut pœna manet miseros, aut palma beatos:
Quisq; suæ vitæ semina iacta metet.

Prosper Epigr. XXXVIII. v. 8.

Quod serimus, metimus; quod damus, accipimus.

Neque Ethnici illibatũ reliquerunt: quamuis eam doctrinam de vltimo iudicio ignorarent, tamen improbis in hac vita, condignam scelerum mercedem accepturis, sæpè huiusmodi cantilenas occinuerunt. Cicero II. de Orat. *Vt sementem feceris, ita metes.* Plautus in Epidico:

Istic mihi nec seritur nec metitur.

Captiuis Act. III. Scen. 5.

Sator satórque scelerum, & messor maximè.

& in Mercatore:

Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.

Vel si mauis Græcum Gorgiæ apud Aristotelem l. III. Rhet. c. 3. Αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας, κακῶς δ' ἐθέρισας. *Turpiter seminasti, malè messuisti.* Sic Ino Euripidea de vsurarijs loquitur apud Stobæum Serm. x.

—Κτᾶσθε πλοῦτον πάντοθεν θηρώμενοι
Σύμμικτα, μὴ δίκαια, καὶ δίκαι' ὁμῶς·
Ἔπειτ' ἀμᾶσθε τοῦ δὲ δύστηνον θέρος.

— Opes venamini vndique
Promiscuè, per fas simulq; & per nefas:
Sed posteà hinc messem metitis miserrimam.

Et Darius in Persis Æschyli Tragici, v. 822.

Ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν
Ἄτης, ὅθεν πάγκλαυστον ἐξαμᾷ θέρος.
Flos insolens iniuria, spicam tulit
Damni, vnde planè flebilem messem tulit.

Affine

Affine est illud Sap.III.v.15. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* & suprà ex II. Epist.ad Corinth.cap.IX. v.6. *Qui parcè seminat, parcè & metet.* vbi plura congessimus. Sic Iob c.IV. v.8. *Qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metent eos.* & simile Prouerb.XXII.v.8. *Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consummabitur.* Osee VIII.v.7. *Seminabunt ventum, & turbinem metent.* & cap.X.v.13. *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij.*

IBIDEM V.7.

Deus non irridetur.

Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται.

IN Adagij scitum apud vulgus deductum est non ineptè, in eos, qui in decipiendo alios seipsos fallunt, damnũ animæ graue facientes, idque veluti cæci minimè animaduertentes: item qui sacram Scripturam ad mouendum risum vsurpant, ex eaque cantilenas conficiunt, ludosque publicè faciunt, quod est in Tridentina Synodo iustè vetitum. Sic etenim Deum impiè nefarieque derident, ludificant, spernunt, nullum ad eum respectum habentes. Pro *irridetur* Grecè est *μυκτηρίζεται*, quod significat *nasum suspendere, irridere suspenso naso*, vti faciunt, qui cùm alios deceperint, à tergo in eos linguam, nasum, digitum in signũ irrisionis extendunt, vt Muretus in Varijs monet, & nos in Senecam Rhet. Paulus hortatur hîc, vt velint ijs, à quibus instituebantur erudiebanturque ad res sacras, victum suppeditare: & quia cernebat aliquot ex eis fore diuitibus qui paupertatem astutè excusarent, idcircò admonet. Talis autem excusatio homini imponi potest, non autem Deo, qui omnia scit.

IBIDEM V.10.

Dum tempus habemus, operemur bonum.

Ὡς καιρὸν ἔχομεν, ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθόν.

VERBVM prouerbiale vulgus passim in ore habet, quo præcipitur nobis continenter esse benè agendũ, atque de omnibus, præsertim Religiosis viris, benè merendum, dum tempus habemus, hoc est, dum per tempus licet. Idem Paulus sentit, qui videns humanæ vitæ curriculum esse quàm breuissimum, admonet punctum vt temporis nullum vacuum à benè agendo, iuuandoque magistros, præsertim morum & doctrinæ, præterire patiamur. Tempus benè impendendum Ethnicus suadet Seneca Lucilio Epist. I. *Turpissima*, inquit, *temporis iactura est, quæ per negligentiam fit: & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Vtitur Ioannes Apoc. c.X. v.6. *Iurauit Angelus per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit ampliùs.* S.Chrysostomus Hom.XVII. in Ioan. *Breue*, inquit, *tempus nobis in præsenti vita præstatur, quo nisi in necessarijs vtamur, quid illuc migrantes faciemus?* Hinc S.Gregorius Nazianz. in Iambicis ait vitam hanc esse mercatum, in quo omnes opes, puta virtutes, comparare possimus; eo exacto, nullus emendi & comparandi superfit locus. Monemur itaque non procrastinandam pœnitentiam, propter vitæ

vitæ incertitudinem, & varia se ex inopinato ingerentia impedimenta. Eccles. v. v. 8. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Benè quidam, *Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.* & Horatius:

Quis scit an adijciant hodiernæ tempora vitæ
Crastina dî superi? —

AD EPHESIOS.

Ephesiæ litteræ, Prouerbij specie. *Ephesiæ Dianæ templum.* &: *Leges iniquæ Ephesiorum.*

DVM ad Epistolā Ephesijs missam ab Apostolo tendo, hæc præmitto. Abierunt in Prouerbium *Ephesiæ litteræ*, vt prodigiosæ ac pænè magicæ (si id fortè huc pertinere ac referri potest) de quibus Hesychius Lexicographus antiquus, sed valdè deprauatus: Clemens verò Alexandrin. lib. v. Stromatum, integrum adfert locum, ex quo Hesychium emendat Theodorus Canterus lib. I. Variarum Lect. cap. 18. Clementis verba Latinè sunt: *Androcydes Pythagoricus litteras, quæ vocantur Ephesiæ, in vulgus autem fuere valdè iactatæ, dicit locum tenere symbolorum. Significare autem ἄσκιον quidem tenebras, eas enim non habere vmbras. κατάσκιον autem lucem, quoniam illustrat vmbram. λὶξ autem prisca appellatione est terra, & τετρὰς, hoc est quaternio, annus, propter horas. δαμναμενεὺς autem, sol qui domat, & ἄισια vox vera.* Similia verò huic τετράδι sunt quæ de *Abraxas* ex Epiphanio & Hieronymo colligit in Annalibus Baronius Card. Meminit harum litterarum Anaxylas apud Athenæum libro XII. sic ferè:

Ἐν σκυτέεοσι φορῶσ' Ἐφεσήϊα γράμματα καλά.

In consutilibus ferunt Ephesias litteras pulchras.

hodieque Hispani vulgari vsurpant sermone, sensu tamen sequiore, *Ad Ephesios mittere* vel *ablegare.*

De Dianæ Ephesiæ augusto templo Ephesi ædificato, & in septem vniuersi admirandis, frequens mentio in Actis Apostolicis c. XIX. v. 27. *Magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia & orbis colit.* sed ad Strabonem, Melam, Plinium, Pausaniam, Solinum, & Agellium adire iubeo.

Pungat verò *Lex Ephesia* meritò Lectorem, quam sic è Græco M. Tullius Tuscul. v. extrema conuertit: *Nemo de nobis excellat, sed si quis exstiterit àlio in loco, & apud alios sit.* Itaque ob virtutis præstantiam cùm Hermodorum Ephesium odissent, plebiscito ipsum ciuitate expulerunt. Cuius etiam plebisciti causa Heraclitus Philosophus cognomento Σκοτεινὸς appellatus, aiebat, Ephesios dignos esse, quibus gula frangeretur simul atque pubescerent. Exstat etiam Darij Regis Persarum Epistola, qua id factum Ephesiorum reprehendit. Verùm ea calamitas Hermodoro benè vertit: nam quem exilio ingrata multauit patria, eū Italia, & in primis Roma terrarum domina, summo excepit honore, ac publica donauit statua. Quem multi etiam laudarunt, vt in Tusculana Cicero, & Pomponius Iurisconsultus Tit. de Orig. Iuris. Strabo l. XIV. Plinius lib. XXXIV. cap. 5. statuam illi

publicè in foro Romæ positam aiunt, quòd Decemuiris leges Solonis Latinè esset interpretatus.

CAP. IV. V. 26.

Irascimini, & nolite peccare.
Ὀργίζεσθε, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε.

INTERPRETANTVR: Si irasceris, iram ita cohibeto ne pecces, vt ad verbera non prosiliat. Sic S. Augustinus in Psalmum IV. ex quo Paulus desumpsit, *Aut*, inquit, *etiamsi irascimini, nolite peccare: id est, etiamsi surgit motus animi, qui iam propter pœnam peccati non est in potestate; saltem ei non consentiat ratio & mens, quæ intus regenerata est secundùm Deum, vt mente seruiamus legi Dei; si adhuc carne seruimus legi peccati.* Aut, Agite pœnitentiam, id est, irascimini vobis ipsis de præteritis peccatis, & vlteriùs peccare desinite. Hunc locum disertè exponit S. Isidorus Pelusiota lib. II. Epistola 239. post Chrysostomum eius magistrum, in hunc locum. Etiam pagani iræ modum præscribunt, freno veluti moderandæ. sic enim Flaccus lib. I. Epist. II. v. 62.

Ira furor breuis est, animum rege: qui nisi paret,
Imperat. Hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Exstat elegans Homilia de Ira compescenda Basilij M. & Plutarchi opusculū in Moralibus de Cohibenda ira. Vide & Senecam & Lactantium de Ira, Ioan. Stobæi Serm. XCVIII. XCIX. C. & quorumdā Tractatus de Ira compescenda remedijs Theologicis, Medicis & Philosophicis. Actio olim erat Legis Aquiliæ, contra magistrum, qui rudiore doctrina discipulum eluscat; & in sutorem, qui discipulū forma calcei percussit, & oculū ei eruit, ff. ad Legē Aquil. L. Sed etsi. §. Si magister. nam præceptoris sæuitia culpæ assignatur. Et Stobæus περὶ Ἀρχῆς Serm. XLIV. *Quisquis intolerabiles, crudeles & immoderatas pœnas exquirit, legitimis non contentus, ac belluinæ iracundiæ locum dans instar mulierum exacerbatur, non intelligit se præter fas in eiusdem naturæ genus contumeliosum esse.* At exemplo patris, filiū benignè castigantis, delicta puniantur citra iracundiam, vt Leo Constit. CV. Plutarchus de Sera Numinis vindicta. Refert de Platone & Archyta Tarentino Cicero l. IV. Tuscul. Quæst. & Valer. Max. lib. IV. c. I. dixisse seruo: *Sumpsissem à te supplicium, nisi iratus essem.* Exstat & inter Regum Ducumque Apophthegmata Plutarchi, responsum Charilli ad quemdam ex Helotis arrogantiùs ad se accedentem: *Per Deos*, inquit, *gemellos* (Castorem & Pollucem intelligit) *occidissem te, nisi iratus fuissem.* Xenophon Hist. Græcarum lib. V. *Ne quidem*, inquit, *in seruos animaduertendum est commoto in iram animo, quippe domini cùm irati sunt, sæpenumerò plus detrimenti accipiunt, quàm alijs inferant.*

IBIDEM V. 26.

Sol non occidat super iracundiam vestram.
Ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν.

DEVTERONOMII C. XXIV. V. 15. de operario dicitur: *Eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum.* Ad eius φράσεως imitationem

nem Iudæi proculdubiò Patriarcharum temporibus hoc Adagium effinxerunt: inde enim ad Aegyptios, ac porrò ad Pythagoram promanasse videtur; cuius discipuli, Plutarcho teste lib. de Fraterno amore, *nulla sanguinis necessitudine coniuncti, sed tantùm eiusdem institutionis participes, si quando irâ prouecti in contumelias erupissent, priusquam occumberet sol, dextris iunctis se mutuò complexi in gratiam redibant.* Hodie quoque vsurpamus hocce Adagium, monentes ne quis iram ad solis vsque occasum foueat, ne solem occidere patiatur illo excandescente, & occîdat animam. dandam itaque operam, ne rixa aut simultas temporis diuturnitate in odium vertat, & ex irato iracundus fias, veluti qui ebrius, ebriosus euadit. Sic de se Horatius Flaccus gloriatur libro I. Epist. XX. v. 25.

Irasci celerem, tamen vt placabilis essem.

Ita S. Epiphanius Episcopus Cypri dixit S. Hilarioni: *Ego ex quo accepi habitum istum, non dimisi aliquem dormire, qui habebat aliquid aduersum me, neque ego dormiui, aliquid habens aduersus aliquem.* R.P. noster Claudius Aquauiua, Generalis V. in Industrijs hoc nobis consilium suggessit socijs, ne quis iratus cubitum concedat, quin priùs ritè cõfessus, Deo reconcilietur. Sic & Athanas. in Vita Antonij: *Suadebat iugi meditatione retinendũ illud Apostoli: Sol non occidat super iracundiam vestram. Non tantùm autem super iracundiam vestram solem occidere non debere interpretabatur, sed & super omnia delicta hominum, ne peccatorum vmquam nostrorum, aut in nocte luna, aut in die sol testes abscederent.* S. Isidorus Pelusiota lib. II. Epist. 189. *Nocte,* inquit, *diabolus idoneũ tempus nactus, ea quæ contigerunt, magis inflammat, ad vltionem irritat, ad inimicitiam exstimulat, ad accusationes excitat, iniuriarum memoriam parit, innumeraq; hinc mala procreat. Nam quòd D. Paulus, vt hæc exscinderet, dissidentes quàm ocyssimè inter se reconciliari iusserit, ex eo patet, quod mox subiũxit, Nolite locum dare diabolo; qui exiguos affectus magnos occultè reddit, eaq; quæ facilè curari possunt, vix aut etiam nullo modo curabilia efficit.*

CAP. V. V. 16.

Dies mali sunt.

Αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι.

METAPHORA hîc à mercatoribus sumpta, qui curiosè merces considerant, tempusque expendunt. Contraria autem sunt, *Sinere tempus elabi* nobis aliud agendo, vt Seneca loquitur, & *Tempus sarcire. Dies malos* autem vocant Hebræi tempora difficultatum & asperitatis plena, veluti cùm fames vel penuria ingruit. Ita Salomon Eccles. IX. v. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Hunc occasionis & temporis stimulum sæpè nobis adhibet Apostolus Rom. XIII. v. 11. *Et hoc,* inquit, *scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere.* Galat. VI. v. 10. *Dum tempus habemus, bonum operemur ad omnes. Vita nostra,* inquit Nazianzenus in Sententijs, *est quasi mercatus, cuius dies cùm abierit, tempus ampliùs non erit emendi quæ velis.*

AD PHILIPPENSES.

CAP. II. V. 21.

Omnes quæ sua sunt quærunt.

Οἱ πάντες τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσιν.

IN Adagij consuetudinem venit in eos Principes, in Prouinciarũ Præsides, in diœcesium Præpositos, ac in cunctos Magistratus, qui suorum negotiorum commoditatibus inhiantes, nihil suarum partium magnopere agunt. Et hoc tritum & commune Prouerbium, reque ipsa & experientiâ constat esse verissimum, quòd omnes, id est plurimi, quærant quæ sua sunt, non quæ IESV CHRISTI. Id vitij omnibus assignauit, hoc est bonæ hominum parti, quæ in sua euigilaret causa, at in vniuersi Christiani gregis commodo non item.

IBIDEM V. 22.

Sicut patri seruit filius.

Ὡς πατρὶ τέκνον δουλεύει.

DESVMPTVM ex Malachiæ c. III. v. 17. *Parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi.*

CAP. III. V. 18.

Inimici crucis CHRISTI.

Ἐχθροὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ ΧΡΙΣΤΟΥ.

ALLVSIO ad crucem, cuius supplicio CHRISTVS mactatus, nouam Religionem abs se institutam mirum in modum confirmauit, à qua qui auersi sunt, vulgato iam inde Prouerbio *Inimici crucis* CHRISTI vocitantur. S. Ignatius Martyr, scribens ad eosdem Philippenses, monensque vt hos ipsos caueant, qui negarent crucem CHRISTI, *Princeps*, inquit, *huius mundi gaudet, cùm quis crucem negarit: cognoscit enim, Crucis confessione suum ipsius esse exitium. id enim trophæum est contra eius potestatem.* Simon Magus eiusque asseclæ CHRISTVM ferè crucifixum negabant. S. Cyrillus Ierosolymitanus Catech. XIII. *Non pudeat vos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter Crucis signaculum digitis imprimatur.* Tertullianus lib. de Corona militis c. III. & IV. (quem Tertulliani locum expressit B. Hieronymus ad Eustochium Epist. XXII.) *Ad omnem*, inquit, *actum, ad omnem incessum, manus pingat Crucem.*

I. AD THESSALONICENSES.

CAP. II. V. 7.

Tamquam si nutrix foueat filios suos.

Ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα.

ALLVSVM ad illud Num. 11. v. 12. *Sicut portare solet nutrix infantulum.* Veteres hac etiam in parte seruorum operâ interdum vsos esse, apparet ex illo Comici Terentij in Adelph. Act. IV. Scen. II. v. 23.

— *Non puduisse verberare hominem senem,*

Quem ego modò puerum tantillum in manibus gestaui meis?

Vt plurimùm tamen sexũ femininum huic labori accommodatissimum existimarunt, vt Gen. XXIV. v. 59. XXXV. v. 8. Ruth IV. v. 18. II. Reg. IV. v. 4. & XI. v. 3. B. Apostolus eadem similitudine affectum fidelium ministrorum exprimit, qui auditores fidei suæ commissos vnicè amant, & ad illorum captum se demittunt. Clemens Alexandr. lib. 1. cap. 6. *Quemadmodum nutri-*

nutrices recenter natos infantes lacte nutriunt, ita ego CHRISTI *lacte, nempe vobis spiritale nutrimentũ instillans.*

CAP. IV. V. 4.

Sciat vnusquisque vas suum possidere.

Ἐιδέναι ἕκαςον τὸ ἑαυτȣ̃ σκεῦ ⊕ κτᾶ⊕.

HÆC Pauli sententia recepta sit vulgò pro eo quod est. Cuiuis vigilandum est super cura sui corporis: & congruet in eos, qui plusquàm par sit aliena curant. Sed si longiusculè trahatur, plus habet venustatis. *Vas* vocat Apostolus corpus quo spiritus continetur, ac per hoc non inscitè & corporis & animi vitia simul vetat: vt Plato σῶμα σῆμα vocauit. & Paulus *vas electionis* dictus Act. IX. v. 15. Sic Gen. XLIX. v. 5. Simeon & Leui dicuntur *vasa iniquitatis.* Pro vxore S. Augustinus capit lib. I. de Nuptijs & concupisc. c. 8. & lib. IV. contra Iulian. c. 10. & lib. V. cap. 9. quasi dicat, Quisque honestè & castè sua vxore vtatur. Sic Prouerb. c. V. v. 15. dicitur: *Bibe aquam de cisterna tua.* vbi LXX. vertunt: *Bibe aquam de vasis tuis.* & S. Petrus Epist. I. c. III. monet maritos, vt vxoribus quasi infirmiori vasculo condoleant & condescendant.

CAP. V. V. 2.

Sicut fur in nocte.

Ὡς κλέπτης ἐν νυκτί.

PROVERBIALI sermone malorum, repentè & inspectatò ingruẽtium, simulque ineluctabilium impetum adumbrat. Quod & Ioannes Apocal. cap. XVI. v. 16. ex persona ipsius CHRISTI iudicis insinuat, *Ecce venio,* inquit, *sicut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet,* &c.

IBIDEM V. 21.

Omnia probate, quod bonũ est tenete.

Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.

SOLITVM est dici, cùm volumus quempiam sapientiæ comparandæ studio ad cuncta cognoscenda hortari; aliter enim nemo potest fieri sapiens. Sunt enim audiendi Prophetæ & Ecclesiæ Doctores, Scriptoresque Ecclesiastici notæ melioris. Hoc verò loco Paulus more suo vocat *Prophetias* diuinæ Scripturæ interpretationes, vt Epist. I. ad Corinth. cap. XIV. v. 29. *prophetare* pro interpretari & declarare ponit, atque id alibi sæpenumerò. De libris autem bonis cum delectu legendis, hîc P. Corn. à Lapide disserit, & vberiùs P. Iac. Gretserus singulari Commentario de legi vetitis cùm obscœnis tum hæreticis scriptis.

II. AD THESSALONICENSES.

CAP. III. V. 10.

Si quis non vult operari, nec manducet.

Ἐἴ τις ȣ̓ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω.

PROVERBIO increbuit in ignauos fucos, qui contra Dei mandatum, non tam suum quàm alienum panem per otium deuorant, ex alienis laboribus sibi præmium petentes; aut qui nullâ impensâ operâ mercedem recipiunt. S. Ignatius Martyr Epist. IX. ad Antioch. Μηδεὶς ἀργὸς ἐσθιέτω. *Nemo otiosus comedat.* Gen. III. v. 19. *In sudore*

dore vultus tui vescêris pane tuo. & Prouerb.XXXI.v.26. *Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* Psal.CXXVII.v.2. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Basilius Magnus in Reg.fusior. Reg.27. *Deus qui nobis vires idoneas ad laborandũ suppeditauit, is in die iudicij parem quoque à nobis in laborando industriã reposcet. Quisquis,* inquit Socrates Tripartitę Hist.l.VIII. *manibus non laborat, similis est prædoni.* Tales depingit Poëta ventres otiosos aulicos, qui iactent vetus illud: *Equus me portat, alit Rex.* Alexis apud Stobæum Serm.XXX.

— *Quicumque enim gaudet cibo*
Quotidie, nec interim quidquam cibo
Dignum facit, sed odiosè ferians
Oberrat, infestissimũ est vitæ malum.

Et Sophocles in Vatibus apud Stobæum Serm.XXIX.

Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.

vbi si pro εὐτυχεῖν substituas ἐσθίειν, habebis clariorem huius Adagij explicationem,

Μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας ἐσθίειν.
Labor ferendus est cibum petentibus.

vel:

His qui volunt edere, ferendus est labor.

I. AD TIMOTHEVM.

CAP. V. V. 6.

Viuens mortua est.
Ζῶσα τέθνηκε.

IN viduam luxuriosam. Mutatis casibus ad quoscumque impios & voluptarios referri potest. Nam ij quoque, etiamnum animam ducant, imò ætate, opibus & potentiâ quàm maximè floreant, tamen coram Deo propter abominationem peccati, reuerà nihil aliud quàm defuncta & fœtida sunt cadauera. Apoc.cap.III.v.I. *Scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es.*

IBIDEM V. 18.

Non infrænabis os boui trituranti.
Βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις.

EXPLICATVM suprà ad Epist. I. ad Corinth.cap.IX.v.9.

IBIDEM.

Dignus est operarius mercede sua.
Ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ.

SVPRA exposuimus Matthæi capite X.v.10.

CAP. III. V. I.

Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.
Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ.

IACTATVR velut vetus Adagium, quoties quis incitatur ad captandum aliquod Sacerdotium, perinde quasi ille vecors sit, ille nihil honestè sapiat, qui ad tale quid non audeat inhiare & ambire. Vnde salutariter monemur, honorum appetentiam officio & conscientia, non commodo & ambitione metiri. S. Hieronymus Epist.LXXXIII. ad Oceanum, *Si quis,* inquit, *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Opus, non dignitatem; laborem, non delicias. Opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Sic & S. Augustino lib. XIX. de Ciuit. Dei c.19. à speculando Episcopus

pus dictus. sic enim Cicero ad Attic. lib. VII. Epist. XI. *Vult enim me Pompeius esse, quem tota hæc Campana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & summa negotij referatur.* Meminit & lib. XIV. Epist. XVI. Eadem ratione Episcopatum esse graue onus, docet S. Clemens lib. II. Constit. Apost. S. Isidorus Pelusiota demonstrat quorum sit Episcopatum desiderare, lib. I. Epist. 104. *Non est quorumlibet,* inquit, *Episcopatum appetere, verùm eorum, quorum vita ex Pauli legibus dirigitur.* & fusiùs lib. III. Epist. 216. & lib. IV. Epist. 219.

CAP. VI. V. 7.

Nihil intulimus in mundum.

Οὐδὲν εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον.

EADEM, sed alijs verbis, habentur Iob I. v. 21. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Vt prouerbiale aptè in eos hærebit, qui neque rebus comparandis vllum modum ponere, neque partis suo tempore vti sciuerint. Quod in auaros maximè cadit, qui perinde quasi aut numquam morituri, aut bona sua secum aliò absportaturi, sese omni vitæ commodo interim stultissimè defraudant, cùm postremò eis nudis, vt diximus, velint nolint, hinc, quemadmodum verisimile est, nisi priùs pœnituerit, ad inferos migrandum sit. Propterea ibidem ita admonet Apostolus: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* cùm reuerà, si sapimus, nihil sit quod aliud curemus. Gentes hæc non ignorarunt. exstat enim Græcè in libro Anthologiæ illud à Thoma Moro conuersum carmen:

Nudus vt in terrā veni, sic nudus abibo.

Et M. Tullius in Paradoxis: *Nesciunt mortales, quàm magnum vectigal sit parcimonia.*

IBIDEM V. 8.

Habentes alimenta, & quibus tegamur.

Ἔχοντες διατροφὰς, καὶ σκεπάσματα.

SVB amictu B. Paulus domum etiam cōprehendit; sub victu, aquam & panem, vt Siracides cap. XXIX. v. 28. sub aqua & pane omnem potum & cibum. *Initium,* inquit, *vitæ hominis aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* & Gen. cap. XXXIX. v. 6. siue de Iosepho, seu de Putiphare, ait Scriptura: *Nec quidquam aliud nouerat nisi panem quo vescebatur.* id est cibo necessario contētus vixit. Romani cùm proscriberent, aqua & igni interdicebant: & natura frugalitatem præscribens suadet,

Esse decet viuas, viuere non vt edas.

Ideò Socrates hoc se ab alijs differre aiebat, quòd illi viuerent vt ederent, se verò econtrà edere vt viueret. Ouidius lib. XV. Metam. idem Pythagoræ tribuit, & Athenæus lib. IV. cap. 28. Philo Iudæus præclarè libro quem pro Iudęis scripsit, & quo probat, omnem probum liberum esse. quæ referuntur ab Eusebio l. VII. Præp. Euang. Eorum ergo est, qui mediocritatem suam ipsi solantur: natura enim paucis contenta est, & victus cultusque corporis satis est homini frugi. Prosper Aquitanicus Epigr. CIV. v. 3. ita reddidit:

Mortalis vita breuitas non multa requirit:
Paucorum exigui temporis vsus eget.

Hora-

Horatius verò lib. II. Carm. Oda 16.

Viuitur paruo benè. ——

Claudianus I. Rufin. v. 215.

Viuitur exiguo meliùs: natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.

Idem de victu senserunt Pythagorici, de quibus Alexis in Tarentinis, apud Athen. lib. IV. cap. 39.

— Καθ' ἡμέραν τάδε
Ἄρτος καθαρὸς εἷς ἑκατέρῳ, ποτήριον
Ὕδατος, τοσαῦτα ταῦτα. —

— *In singulos dies*
Vtrique panis purus est, & poculum
Aquæ, nec ampliùs quidquam.

Et versus Iambici, quos Stobæus Sermon. v. Menandro, Athenæus dicto lib. IV. cap. 28. & Gellius lib. VII. c. 16. Euripidi assignant:

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνοιν,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματος θ' ὑδροχόου,
Ἅπερ πάρεστι, καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν;

Quid quæso deest mortalibus, nisi hæc duo,
Fruges Cereris, potusque profundens aquas,
Quæ præstò sunt, ideóque nata, vt nos alant?

Latinè è Lucano diceres l. IV. v. 381.

— *Satis est populis fluuiusque, Ceresque.*

v lsi oratione soluta (è Senec. Ep. XXV) malles: *Panem & aquam natura desiderat: nemo ad hæc pauper est: intra quæ quisquis desiderium suum claudit, cum ipso Ioue de felicitate contendat.*

IBIDEM V. 10.

Cupiditas omnium malorum radix.

Φιλαργυρία πάντων τῶν κακῶν ῥίζα.

SIC Siracides cap. x. *Auaro nihil est scelestius, hic enim & animam suam venalem habet.* Huc pertinent duæ nobiles sententiæ, vna Bionis apud Theonem in Progymnasmatis, qui φιλαργυρίαν, id est *pecuniæ cupiditatem*, vocabat κακίας μητρόπολιν, *vitij metropolim*: altera Timonis, qui duo esse dicebat malorum elementa, ἀπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν, id est, *inexplebilem opum auiditatem*, & *gloriæ appetitionem.* Apollodorus Comicus appellat τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν, *Summam malorum.* Cicero in I. de Finibus bonorum & malorum, *Cupiditates*, inquit, *sunt insatiabiles, quæ non modò singulos homines, sed vniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant sæpè Rempublicam. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur.* Virgilius ita expressit Æneid. III. v. 56.

— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames? ——

& Horatius lib. I. Epist. I. v. 53.

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos. ——

Et Ouidius sæpiùs:

Et genus & formam regina pecunia donat.
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

In hanc Pauli sententiam singularis exstat Augustini Homil. Tomo x. quę est VIII. inter 50. *Quia radix*, inquit, *omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum est charitas, & simul ambæ esse non possunt, nisi vna radicitus euulsa fuerit, alia plantari non poterit*, &c. Et Ambrosius libro de Cain & Abel c. 5. *Auaritia quò plura abstulerit, eò magis inopem se esse credit: omnibus inuida, sibi vilis, in summis diuitijs inops*, &c.

II. AD

II. AD TIMOTH.

CAP. II. V. 5.

Non coronabitur nisi legitimè certauerit.

Ὀυ στεφανȣ̃ται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ.

VSVS Adagij huius in Ecclesiá introductus est. Prior pars à D. Apostolo I. Corinth. IX. v. 24. *Nescitis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis*, &c. Iacob. I. v. 12. *Cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. Apoc. II. v. 10. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. & II. Tim. IV. v. 7. & 8. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus*. Posterior à DD. Patribus & Poëtis Christianis, qui monstrant, luctandum esse cum diabolo, carne, & mundo. Ephes. VI. v. 12. *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere*, &c. denique omnis generis mala, atque ipsam etiam mortem perferendam esse, priusquam ad vitæ regnique æterni gaudia perueniamus, vt II. Timoth. II. v. 12. *Si commortui sumus, & conuiuemus; si negauerimus, & ille negabit nos*. Rom. VIII. v. 17. *Si compatimur, vt & conglorificemur*. Actor. XIV. v. 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Citatur hic locus ab Ignatio Martyre Epist. x. Hoc sensu D. Basilius, citáte Antonio Monacho libro II. Melissæ c. 25. *Quis certaminum præfectus adeò destitutus est iudicio, vt ijsdem coronis dignos iudicet, victorem, & eum qui nihil certauerit? Honores & coronæ eorum sunt, qui victoriam obtinuerint. Quis vnquam coronandum putauit esse eum, qui ad certamen se ne exuerit quidem?* Et Augustinus Tom. IX. de arbore scientiæ boni & mali: *Si sciebat Deus hominem posse peccare, quare non eum reuocauit à peccato*, &c. E sacris Poëtis Pontius Paulinus Epig. XIII. in imaginem CHRISTI crucifixi:

Cerne coronatam Domini super atria CHRISTI
Stare crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia: tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Item Prosper Aquitanicus Epigr. III. vers. 7.

Nam non certanti non est speranda corona.

& Mantuanus de Contemnenda morte v. 143.

Certandum est, nulli veniunt sine Marte triumphi,
Et nisi certanti nulla corona datur.
Est Deus, est æther pretium certaminis huius,
Hæc faciant pugnam præmia tanta leuem.

Sic Sapientiæ cap. V. v. 17. *Accipient regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.*

Dicit Apostolus νομίμως, id est *legitimè, perseueranter*, vt Augustinus alibi. q. d. Omnibus certaminum legibus satisfaciendum, & antagonista prostrato victoriam esse reportandam. Aristides Adrianæus Orat. I. de Rhetorica: *Quicumque pulcherrimè certauerit, hunc coronare, & primò victorem proclamare oportet, etiamsi postremus in arenam descenderit.* Aristo-

teles lib. I. Rhetor. c. II. omisso illo adverbio sic ferè expressit: Ὅπου γὰρ ἅμιλλα, ἐνταῦθα καὶ νίκη ἐστίν. *Vbi enim certamen, ibi etiam victoria est.* Vel proprijs verbis è Plauto Comico in Asinaria Act. II. Scen. 2.

Fortiter malum qui patitur, idem pòst potitur bonum.

Iam olim apud vulgus in Prouerbium transijt, quo liquet, honorem, hoc est, præmium, nulli nisi merito, id est officio suo strenuè functo, deberi. S. Isidorus Pelusiota lib. IV. Epist. 122. *Legitima lucta est, non ea quam sibi fingit cuiusque socordia & anticipata opinio, sed illa potiùs quæ ab incorrupto iudice est constituta.* Idem lib. V. Epist. 139. & 226.

IBIDEM V. 6.

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.

Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν.

BEATVS Basilius de quorumcumque laborum præmijs accepisse videtur, ex vulgato illo dicto, quod Antonius lib. II. Melissæ cap. 45. allegat: Ἐκείνων οἱ καρποὶ, ὧν καὶ οἱ πόνοι. *Eorum sunt fructus, quorũ etiam fuerunt labores.* D. Chrysostomus interpretatur de præconibus verbi Dei, quos ab auditoribus sustentari conueniat, Homil. IV. in hunc Pauli locum. *Quemadmodum agricola non absque vtilitate laborat, verùm prior ipse ante omnes laborum suorum percipit fructus: ita & doctorem frui laboribus suis consentaneum est.* Similia suprà ad illud Pauli I. Cor. IX. v. 8. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* In eos perbellè conueniet, qui defraudant operarios mercede debita, cùm illis primùm sit satisfaciendum, vt est præceptum à Deo per Moysen Leuit. XIX. v. 13. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque manè.* At contrà admonet, neminem hominem debere de fructibus percipere, id est, mercedem capere, nisi priùs laborarit.

IBIDEM V. 20.

In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.

Ἐν μεγάλῃ οἰκίᾳ οὐκ ἔστι μόνον σκεύη χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, ἀλλὰ καὶ ξύλινα καὶ ὀστράκινα.

EXEMPLO rei domesticæ ostendit, in Ecclesia non vnum esse hominum genus. & sic sæpè alibi Apostolus *domum Dei* vocat Ecclesiam, vt I. Tim. III. v. 15. *Vt scias*, inquit, *quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia.* Ad Hebr. III. v. 5. *Moyses fidelis erat in domo Dei.* Vocat Apostolus Galat. VI. v. 10. *domesticos fidei*, fideles. Huc referri potest expositio S. Basilij Homilia, Quòd Deus non est auctor malorum. *Vas aureum*, inquit, *est is, qui mente moribusq́; simplex, at sine dolo est. Argenteum, qui illo paulò est inferior, dignitatis ac pretij æstimatione. Testaceum est, qui terrestria sapit, & frangi conteriq́; est aptus. Ligneum, qui per peccatum facilè sordet, & igni æterno materiam præbet.* Allegoria valdè prouerbialis frequenti in vsu est, cùm volumus significare, in magno hominum numero similiter esse bonos & malos, atque eorũ operâ ad vnam alterámve rem nobis vtendum. Accommodari ergo potest ad

statum Ecclesiæ, quę CHRISTO in his terris colligitur, teste Cypriano in Epist. ad Nouatianum hæreticum: *Lex vnam nobis & singularem designat Ecclesiam, in illa scilicet quæ sub Noë ante diluuium Dei prouidentiâ fabricata est arca, in qua non tantùm munda animalia, sed & immunda, vt tibi citò respondeatur Nouatiane, inuenimus esse reclusa.* In Ecclesia quoque mali bonis (Matth. XIII. v. 47, 48. XXII. v. 10.) hoc est hypocritæ credentibus, vel peccatores iustis permixtos esse, monet Hieronymus Aduers. Luciferianos. *Arca Noë Ecclesiæ typus fuit. Vt ibi pardus & hœdi, lupus & agni, ita & hîc iusti & peccatores, id est vasa aurea & argentea, ligneis & fictilibus.* Et aduersus eumdem alludens ad illud Mat. XIII. *Zizania in tritico; Non solùm,* inquit, *in Ecclesia morantur oues, nec mundæ tantùm aues volitant, sed frumentum in agro seritur, & inter*

——— nitentia culta
Lappæq; & tribuli, & steriles dominantur auenæ.

Quid faciat agricola? Euellat lolium? sed tota pariter messis euertitur, &c. *Dormiente patrefamilias, inimicus homo zizaniam superseminauit, ad quam eradicandam cùm serui ire proponerent; dominus prohibuit, sibi seruans palearum & frumenti discretionem. Hæc sunt vasa iræ & misericordiæ, quæ in domo Dei ab Apostolo* (Rom. IX. v. 22. II. Timoth. II. v. 20.) *prædicantur. Veniet ergo dies, quando, thesauro Ecclesiæ aperto, proferet Dominus vasa iræ suæ, quibus exeuntibus, sancti dicent: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.*

CAP. III. V. 8.

Iannes & Mambres restiterunt Moysi.

Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς ἀντέστησαν Μωϋσεῖ.

IN vanè loquaces, qui, vt hi, manifestæ veritati suâ ipsorum conscientiâ conuicti se impudenter opponere audent. *Iannes* & *Mambres* nomina propria sunt Magorum (de quibus Exodi VII. v. 11, 12. & VIII. v. 7.) teste Chrysostomo Hom. VIII. in hunc Pauli locum: *Iannes* & *Iambres* (vt Græcè Ἰαμβρῆς legitur, in Syriaco Pauli *Ionis* & *Ianbaris*) *quinã isti sunt? Magi, qui vixerunt temporibus Moysis. Quomodo autem nusquam alibi ipsorum nomina inueniuntur? Ea vel ex traditione, vel ex spiritu Paulum didicisse verisimile est,* vt Origenes etiam est auctor in Matth. Hom. XXXV. *Quod Apostolus,* inquit, *ait, Sicut Iannes & Mambres restiterunt Moysi, non inuenitur in publicis scripturis, sed in libro secreto, qui supra scribitur, Iannes & Mambres liber. Vnde ausi sunt quidam Epistolam ad Timotheum repellere, quasi habentem in se textum alicuius secreti: sed non potuerunt.* De ijsdem Numenius quoque Apameus Philosophus Pythagoricus, è Syria oriundus, ante Paulum mentionem fecerat lib. III. de Bono, cuius verba recenset Eusebius lib. IX. Præparat. Euang. c. 8. Iannæ nomen legitur etiã apud Plinium, qui eumdem cum Moyse coniungit lib. XXX. Nat. Hist. cap. 1. Vtitur Adagio in loquaces Nazianzenus Apologetico de Fuga in Pontum: *Quid autem de his dixerit quispiam, qui inanis gloriæ studio vel principatus cupiditate, iniquitatem in excelsum loquuntur* (Psal. LXXIII. v. 8.) quasi *Iannis cuius-*

dam aut Iambris iactantias, non contra Moysen, sed contra ipsam veritatem sese armantes, & in sanam doctrinam insurgentes.

IBIDEM V. 12.

Omnes qui piè volunt viuere, persecutionem patientur.

Πάντες οἱ θέλοντες εὐσεβῶς ζῆν, διωχθήσονται.

OBSEQVENDVM est omnino tempestati temporũ, cùm illud perspicuum sit, neminem hominẽ posse benè viuere sine hominum inuidia & malitia, quæ semper mala bonis antepoṇit, ac numquam mali aut periculi fugâ à rectè agendo desistendum. Atque in hanc sententiam Apostoli oraculum vice Prouerbij à cunctis hodie salutariter vsurpatur. Cùm vndique & assiduè impetuntur & iniurijs afficiuntur, discant illud Chrysostomi hîc: *Impossibile est, vt qui malis bellum indixerit, pressuris careat*, &c. Hinc infert S. Gregorius lib. VI. Epist. 191. ad Narsam, *Qua in re ego*, inquit, *fidenter dico, quia minùs piè viuis, si minùs persecutionem pertuleris.* nam, vt subdit, *studium bonæ operationis, ipsa aduersitas auget.*

CAP. IV. V. 4.

Ad fabulas conuertentur.

Ἐπὶ τοὺς μύθους ἐκτραπήσονται.

FALSAS ac inutiles doctrinas intelligit, quibus ita nunc fascinatus est mundus, vt veritatis apertam lucem malit omnibus modis extinctam. Hoc titulo Theodoretus libellum conscripsit de Fabulis hæreticorum. Dici consueuit de ijs qui facilè peruertuntur, & inde mali propositi pertinaces, vt benè monentes audiant, de industria fabulas interponunt. Sed in eos aptiùs hærebit, quibus leuitas innata est, ita vt si quid extra iocum dicatur, seriò non accipiunt, sed in iocum vertant, in cachinnos resoluantur, dicta dicant, vt nihil planè cum eis graue sit agendum.

AD TITVM.

CAP. I. V. 12.

Cretenses semper mendaces.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται.

HIERONYMVS in hanc Epistolam commentans sic ait: *Integer versus de Epimenide Poëta ab Apostolo sumptus est, & eius Callimachus in suo Poëmate est vsus exordio siue vulgare Prouerbium, quo Cretenses fallaces appellabantur, sine furto alieni operis in metrum retulit*, &c. Ibidem, *Dicitur*, inquit, *iste versiculus in Epimenidis Cretensis Poëtæ oraculis reperiri*, &c. In Epist. ad Galatas cap. IV. *Hic versus Epimenidis Poëtæ est, cuius & Plato & ceteri Scriptores veteres recordantur.* Quod ait, *ventres pigri*, Gulielm. Canterus Nou. Lect. lib. I. c. 15. nouè interpretatur, *Ventres auidos & edaces*, nam id ἀργὸς etiam significare docet. Syrus vertit, *ventres otiosi*, nam ἀργὸς *otiosus*, vnde ῥῆμα ἀργὸν, *verbum otiosum*, Mat. XII. v. 36. Sanè Phauorinus, cùm huius versiculi meminit, γαστέρες ἀργοὶ exponit. Idem legit ἀργοὶ, quod Ἀττικώτερον est. Summa, hunc versiculum, quem ita quidam vertit,

Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est;

nullo pænè negotio, ait, sic emendatè vertemus:

Cres semper mendax, mala bestia, venter edax est.

Addit,

Addit, Epimenidem, cùm γαστέρα μάργην vellet dicere, nec id carminis pateretur ratio, eius loco ἀργὴν, quod idem valere vellet, substituisse. Ceterùm licet edacitas aptè ventri tribuatur, Belgæ tamen vulgari dicterio *ventrem pigrum* appellant hominem inertem & socordem.

IBIDEM V. 15.

Omnia munda mundis.

Πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς.

APOSTOLVS per hæc vetat Iudaicas fabulas. Putabant enim Iudæi inter cibos esse differentiam, vt alij mundi alij immundi essent. Id à nobis obseruari modis omnibus non vult 1. Timoth. IV. v 4. *Nihil reijciendum esse, quod cum gratiarum actione percipitur*, quia Christum colentibus nulla non bona est res ad vsum vitæ data. Mundos quoque vocat credentes in Deum Tertullianus de Corona militis cap. 10. *Omnia munda mundis; ita & immunda omnia immundis: nihil autem immundius idolis. Ceterùm substantiæ mundi, vt Dei res, & hac sua conditione cõmunes vsui: sed ipsius vsus administratio interest. Nam & ego mihi gallinaceum macto, non minùs quàm Aesculapio Socrates: & si me odor alicuius loci offenderit, Arabiæ aliquid incendo, sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola.* Ad hunc modũ Spiridion Episcopus Trimythuntis in Cypro primus omniũ hoc Adagio Paulino vsus legitur, apud Sozom. lib. 1. Hist. Eccl. cap. 11. & Niceph. lib. VIII. c. 42. *Hanc ob causam tantò minùs recusare debebas. Nam omnia munda mundis, Sacræ litteræ pronuntiant.* Augustinus lib. VI. contra Faustum Manichæum, ad quaslibet actiones honestas refert. Aristippus admiratus, teste Laërtio lib. II. & Stobæo Serm. V. quidnã maximum esset admirandum in vita, audijt: *Vir probus & moderatus. quoniã licet inter multos improbos agat, non tamen peruertitur.* Sic & Greg. Magnus miratur initio Moralium, Iob in terra Hus, probum virum inter improbos repertum, vt rem raram & admirandam.

AD HEBRÆOS.

CAP. IV. V. 13.

Omnia nuda & aperta oculis Dei.

Πάντα γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς Θεοῦ.

PROVERBII præfert speciem & gnomes. sic 1. Reg. XVI. v. 7. *Homo videt ea quæ parent, Dominus autẽ intuetur cor.* & Marci XII. v. 14. Herodiani ad CHRISTVM: *Non enim vides in faciem hominis, sed in veritate viam Dei doces.* & CHRISTVS Ioan. VII. v. 24. *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Gregor. Nazianzenus verò Orat. XXVII. quæ est Apologia pro seipso, aduersus eos qui cathedram Constantinopolitanam affectare dicebant: *Non ita multis videor, at Deo ita: immò non videor, sed perspicuus atque manifestus sum ei, qui omnia, priusquam oriantur, nouit, qui corda nostra sigillatim fingit; qui in omnia opera nostra, omnes motus & cogitationes, cum quibus res à nobis geruntur, intelligit; quem nihil eorum, quæ sunt, latet, aut latere potest; qui aliter res nostras intuetur, atque mortales solent.*

CAP. VIII. V. 13.

Quod antiquatur & senescit, prope interitum est.

Τὸ παλαιούμενον καὶ γηράσκον, ἐγγὺς ἀφανισμοῦ.

In senes, qui quò magis senescunt, hoc fermè maximè omniũ diutiùs viuere cupiunt. Senescit autem corpus, quod vetustate, quod morbo, quod mœrore in dies singulos deflorescit, atque denique interit. Quippe quidquid, vt Socrates apud Platonem in Phædro præclarè probat, ex seipso minùs mouetur, immortale non est. Id in corpore accidit humano, quod tantummodò per animæ continuum motum excitatur: quare vt minimè immortale aliquando dissoluatur, necesse est. Apostolus autem vetus hîc Testamentum cum nouo comparat. Scitum & illud Poëtæ veteris Manilij:

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

CAP. IX. V. 22.

Sine sanguinis effusione non fit remissio.

Χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις.

Vbi callidè significamus, non esse condonandã noxam sine noxa, hoc est culpam sine pœna, rectè vsurpamus illud Apostoli. Cui affine est illud Dei ad Cain: *Vox sanguinis clamat de terra.* Remittebantur quidẽ & in lege peccata propter Christvm, & fundendi olim sanguinis efficaciam, debuit nihilominùs adesse sanguis, propter mysterium.

CAP. X. V. 31.

Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

Φοβερὸν τὸ ἐμπεσεῖν εἰς χεῖρας Θεοῦ ζῶντος.

Manvs Domini trito sermone in Sacris litteris vsurpatur pro afflictione & plaga vehementiore. Exod. III. v. 20. I. Reg. VI. v. 9. Iob I. v. 11. & c. II. v. 5. XIII. v. 21. XIX. v. 26. Ps. XXXI. v. 4. Isaiæ XIV. 26. & 27. Plura collegit P. Martinus Roa, Singulariũ l. 1. c. 4. Metaphora autem deducitur ab ijs, qui fortè imprudentes in periculum labuntur: quæ valde prouerbialis appositè accommodabitur in hominem, qui humanę legis nihil metuens, committit vt diuinum sentiat iudicium, iustitiæque seueritatem experiatur. Ille incidit in potestatem Dei, quem peccati non pœnitet; quòd fugâ pœnæ audacior factus, diuinæ iræ sit obnoxior, vnde æternas subiturus est pœnas. id quod Apostolus *horrendum* vocat. Dauid autem, cùm potiùs Dei vult manum experiri II. Reg. XXIV. v. 14. quàm furorem hostiũ suorum, de huius temporis loquitur afflictionibus, quia Deus misericors est & miserator. Sic Siracid. cap. II. v. 18. *Incidamus in manus Dei, & non in manus hominum.* Et ferè Susanna Dan. XIII. v. 22. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Quomodo igitur dicit: *Horrendum est incidere in manus,* &c. Capio de Deo irato. Quò referri potest illud Psal. VI. v. 2. & XXXVII. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Sic Ier. XXX. v. 11. & XLVI. v. 28.

IBIDEM V. 36.

Patientia vobis necessaria est.
Ὑπομονῆς ἔχετε χρείαν.

CHRISTVS apud Lucam c. XXI. quantum operetur patientia, suos docet discipulos, cùm præcipit: *Per patientiam vestram possidete animas vestras.* Et Iacobus patientiam constantem commendat cap. I. v. 4. *Patientia opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri.* Græcè est ὑπομονὴ, Syriacè autem, *Sustinentia requisita est vobis*, vt I. Petri II. v. 19. *Hæc est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens iniustè.* Intelligas autem non solam in aduersis tolerantiam, sed & animi fortitudinem cum diuinæ opis & retributionis exspectatione. Hinc cognosci licet, Pauli sententiam, omni memoria dignam, locum meritò dedisse Prouerbio, in eos, qui malunt stultè perire, quàm constanter pati. De qua virtute & Scriptura sacra & SS. Patres multi, præsertim verò singulari Commentario Tertullian. & S. Cyprianus, ille quidem c. 15. *Patientia*, inquit, *fidem munit, pacem gubernat, dilectionẽ adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam exspectat*, &c. Pagani quoque idem suasere. Bion aiebat: *Magnum malum est, non posse ferre malum; absque hoc enim nulli potest esse vita suauis.* testis Laërtius l. IV. c. 7. Agesilaus quoque cùm arderet podagræ doloribus, eumque Carneades inuisisset, atque exisset tristis; *Mane*, inquit, *Carneades, nihil enim illinc* (ostendẽs pedes podagricos & pectus) *huc peruenit.* significans, pedes quidem dolere, sed animum dolore vacuum esse. testis Plutarchus in Laconicis Apophthegmatibus.

CAP. XI. V. 38.

Quibus dignus non erat mundus.
Ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος.

VSVRPABITVR, cùm omni exceptione maiores laudabimus: vt veteres olim illo vtebãtur: *Bone Deus, qualis & quantus vir!* Adhibet Greg. Nazianzenus Orat. XXV. quæ est ad Arianos, & de seipso: *Atque hæc quinam viri? Quibus dignus non erat mundus? Sic fidem honori habetis, sic hospitio excipitis?* Elias Cretensis id dici existimat de alijs pijs viris, tum præcipuè de Paulo Constantinopolitano Episcopo, quem post multa exilia Armeniæ Cucusus excepit.

CAP. XII. V. 6.

Quem diligit Dominus, castigat.
Ὃν ἀγαπᾷ Κύριος, παιδεύει.

CONSOLATIONIS loco subijcitur ijs, qui cum morbis aut alijs calamitatibus conflictantur, vt videlicet meminerint, crucem illam diuinitus immissam, non iræ aut odij, sed potiùs dilectionis & beneuolentiæ paternæ certissimum esse τεκμήριον. Desumptum hoc ex Salomonis Prouerb. cap. III. v. 12. *Quem diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.* Eamdem gnomen Scriptura passim repetit, & suauissimis coloribus illustrat, vt Apoc. III. v. 19. dicit Dominus: *Quos amo, arguo & castigo.* & Iob V. v. 17. *Beatus homo qui corripitur à Deo.* II. Machab. VI. v. 14. *Non enim sicut in alijs nationibus Dominus patienter exspectat, vt eas cùm iudicij dies aduenerit in plenitudine peccatorum puniat*, &c. *Dum iudicamur*, inquit Paulus

Paulus I.Corinth.XI. *à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Vnde Augustin. in Psal.XCVIII. *Illi Deus irascitur quem peccantem non flagellat.* & lib.II.de Peccatorum meritis & remiss. cap.12. *Quantus quidem,* inquit, *Iob fuerit, ignoramus: sed nouimus iustum, nouimus etiam in perferendis horrendis tribulationum tentationibus magnum, nouimus non propter peccata, sed propter eius demonstrandam iustitiam illa omnia fuisse perpessum.* & lib. de Perfectione iustitiæ, *Non,* inquit, *propter multa peccata eius facta sunt ei multa contritiones, sed propter probationem patientiæ.* Quin & apud Gentes ita sensisse, vir vnus testis erit L.Seneca de Diuina prouidentia cap. 2. *Paternum Deus habet aduersus viros bonos animum, & illos fortiùs amat, & operibus, doloribus, ac damnis exagitat, vt verum colligant robur.* & cap.IV. *Deus quos probat, quos amat. indurat, recognoscit, exercet. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat.* Vel vt Lactantius inde allegat libro V. cap.23. *Deus homines pro liberis habet: sed corruptos & vitiosos, luxuriosè ac delicatè patitur viuere, quia non putat emendatione sua dignos. Bonos autem, quos diligit, castigat sæpiùs, & assiduis laboribus ad vsum virtutis exercet, nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac deprauari sinit. Ea quippe quæ corpore habet vulnera, amicitiæ pignora habent,* ait S.Isidorus Pelusiota lib.II. Epist.179. & ibidem, *Noli,* inquit, *committere, vt eos omnes qui in calamitatibus versantur condemnes: verùm ita existima, nonnullos etiam esse, qui adipiscendarum coronarum causa perpetiantur. Quidnam igitur ad discipulos suos ait ille, qui rerum omnium imperium obtinet,* Ioannis XVI. v. 33. *In mundo pressuram habebitis. Atque ad Iob etiam dictum est,* cap. XL. *An putas me aliam ob causam oraculum edidisse, quàm vt iustus appareas?* Qui Iobi locus variè à Chrysostomo expositus legitur, aliquando addita, aliquando detracta negatione, Orat. in Terræ motum, & in Diuitem & Lazarum, item Orat. ad Stagirium.

CAP. XIII. V. 14.

Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

Οὐκ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν.

ALLEGORIA est Apostolica, quam Prouerbio vsurpare possumus, cùm nos breui tempore superstites fore significamus. Ad id autem alluditur, quòd cùm nec in ciuitate, nec vspiam locus sit diuturnus ad habitandum, iam satis liquet aliò eundum esse, hoc est de vita discedendum. Videtur autem innuere Paulus, templi ciuitatisque (quam Hebræi æternam, vt & Romani Romam suam fore credebant) deuastationem, vti ex Epiphanio Hæresi XXIX. Eusebio lib.III. cap.5. Eccles. Hist. & Iosepho lib.VII. cap. 12. colligimus. Huc facit locus eiusdem Apostoli II.Corinth.V. v.1. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur,* inquit, *quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* quasi dicat, Licet hinc aliquando ad plures abeundum, & aliò castra transferenda sint,

aliud tamen idque ampliùs non deſerendum aut mutandum domicilium ſortiemur.

EX EPISTOLA CATHOLICA S. IACOBI APOST.

CAP. I. V. 12.

Beatus vir qui ſuffert tentationem.

Μακάριος ἀνὴρ ὃς ὑπομένει πειρασμόν.

HOc verę virtutis experimentum, quod Apoſtolus docuit, ita apud vulgus paulatim valuit olim, vt nunc in Prouerbium adſcitum ſit de homine conſtanti pariter atque forti.

IBIDEM V. 17.

Omne donum perfectum deſurſum eſt.

Πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι.

ALIBI eſt δόμα *datum*, vt Matthæi VII. v. 11. *Noſtis bona data dare filijs veſtris.* Sic & Lucæ 11. v. 13. Sic Eccl. IV. v. 3. *Non protrahas datum anguſtianti.* item cap. XVIII. v. 15. *In omni dato non des triſtitiam verbi.* Saluianus aduerſus auaritiam, *Vt des*, inquit, *illi honores, à quo data ipſa acceperis.* & pòſt: *Animo commendantur data.* Paſſim veluti Adagium iactatur, cùm volunt innuere, aut Deo, quidquid boni in nobis eſt, acceptum eſſe referendum; aut noſtra infirma, caduca, mancaque eſſe, ſecundùm illud Horatianum in Odis, lib. II. Oda XVI.

— *Nihil eſt ab omni parte beatum.*

Cicero in Lælio idem dicit: *Nec quidquam difficilius, quàm reperire quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum.* Ad hoc valet Adagium, vt omnis hominum mentibus arrogantia diſcedat, intelligentium à Deo proficiſci quodcumque perfectum eſt.

CAP. III. V. 5.

Exiguus ignis quantam ſiluam incendit.

Ὀλίγον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει.

BEATVS Iacobus hîc μετωνυμικῶς ad ipſam linguam, vt minutum corporis membrum, refert, vbi & admirando interrogat: *Exiguus ignis quantam ſiluam incendit?* Reſpexiſſe videtur ad illud Eccleſiaſtici cap. XI. v. 34. *A ſcintilla vna augetur ignis:* qui & paulò inferiùs cap. XXII. v. 30. *Ante ignem, ait, camini vapor, & fumus ignis inaltatur.* & cap. XXVIII. v. 19. *Lingua tertia mulieres viratas eiecit.* Simile illud Pindari in Pyth. Oda III.

— Πολλάν τ' ὄρει πῦρ ἐξ ἑνὸς
Σπέρματος ἐνθορὸν ἀΐστωσεν ὕλαν.

In monte ignis, ex vno ſemine (hoc eſt ſcintillula) *exiliens, magnam ſiluam vaſtat.* Euripides apud Stobæum Serm. XXXIX.

Nullus ea reſciſcat quæ cõticeri decet:
Paruâ enim faculâ cacumen Idæ
Incenderit aliquis. Et ſi quid vel vni
aliquando aperueris,
Id ciues audient omnes quod celandum fuerat.

Et Lucretius lib. IV. v. 609.

Sæpè ſolet ſcintilla ſuos ſe ſpargere in ignes.

Exemplũ in Senario D. Nazianzeni in Tetraſtichis v. 49. de peccatis etiã minimis & quotidianis ſedulò fugiẽdis:

Σπινθὴρ ἀνάπτει καὶ βραχὺς πολλὴν φλόγα.

Scintilla, quamuis parua, magnum ignem excitat.

Siue vt Alexander Magnus apud Q. Curtium lib. VI. cap. 3. loquitur: *Parua sæpè scintilla contēpta, magnum excitauit incendium.* Isocrates contra Lochitem citra figuram dixit: *Paruæ occasiones sæpè magnorum malorum caussæ extiterunt.* Solon Eleg. I. v. 4. Ἀρχὴ δ' ἐξ ὀλίγων γίγνεται, ὥστε πυρός. *Leuibus initijs paulatim ad grauiora, vt ignis ex scintilla.*

Vnde Euripides in Andromacha;

Σμικρᾶς ἀπ' ἀρχῆς νεῖκος ἀνθρώποις μέγα
Γλῶσσ' ἐκπορίζει.
A paruo initio sæpè lites maximas
Humana lingua producit.

Eadem Socrates Orat. contra Lochitem. D. Hieronymus Comment. ad Galat. c. V. etiam ad principia hæreseon gliscentium transtulit, adiecto Arianismi exemplo: *Arius in Alexandria vna scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Vsus ergo Prouerbij erit, si quando ex minimis initijs, puta verbulo, suspicione, negligentia, mala ingentia, vt bella, cædes, inundationes, pestilitates, & similia existunt. Sic nostra hac tempestate, proh dolor, è scintilla Lutheri, Caluini ac Mennonis, orbis Europæus hæresi Lutherana, Caluiniana atque Anabaptistica conflagrauit, neque dum finis existit.

CAP. IV. V. 6.

Deus superbis resistit.

Ὁ Θεὸς ὑπερφάνοις ἀντιτάσσεται.

VT Deus solus potentes malè agentes vlciscitur, ita eiusdem est eorum superbiā cohibere impugnareque: quocircà Prouerbij loco increbuit. Gregorius Theologus Orat. III. quæ est prior Steliteutica in Iulianum παραβάτην, *Contritionem*, inquit, *præcedit contumelia* (*vt præclarè habetur in Prouerbijs cap.* XVI.) *gloriam autem humilitas: aut vt dilucidiùs loquar, quemadmodum calamitas insolentiam, ita splendor & gloria humilitatem comitatur.* Et in Orat. de Pace, quæ est XIII. Vide Matth. XXIII. v. 11. *Qui se exaltat, humiliabitur, &c.*

IBIDEM V. 15.

Si Dominus voluerit.

Ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ.

SVPRA expositum I. Corinthiorum cap. XVI. v. 7.

EPIST. I. S. PETRI APOST.

CAP. I. V. 12.

Non sibiipsis, vobis autē ministrabāt.

Οὐχ ἑαυτοῖς, ὑμῖν δὲ διηκόνουν.

VTEMVR Adagio, cùm in aliorum labores succedimus, vt Apostolis dixit CHRISTVS Ioan. IV. v. 38. *Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.*

CAP. II. V. 16.

Velamen malitiæ libertas.

Ἐπικάλυμμα τῆς κακίας ἐλευθερία.

HEBRÆA phrasis pro prætextu, quo vtuntur hodie qui libertatem se nactos, præsertim conscientiæ, temerè gloriantur. Cicero in Paradoxo pænult. *Libertas*, inquit, *est potestas viuendi vt velis. Is viuit vt vult, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata atque prouisa est;*

est; qui ne legibus quidem propter metum paret, &c. & 1. Offic. *Libertatis proprium est, sic viuere vt velis*. Adhibebitur in eos, qui colorem maleficio quærunt, Sapientia dicente cap. XVII. v. 3. *Dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt.*

EPIST. II. S. PETRI APOST.

CAP. II. V. 14.

Oculos plenos adulterij habentes.

Ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος.

LIBIDO potissimùm ex oculis elucet, & impudicitiæ indices sunt, præsertim elati. vnde Siracides c. XXVI. v. 10. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur.* & apud Salomonem Prouerb. VI. v. 20. *Ne capiaris nutibus mulieris.* Sanè oculorum magna vis in amoribus. vnde Poëta vetus:

An nescis oculos esse in amore duces?

Vnde rectè Augustinus: *Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius.* Dictum de mulieribus tam impudicis quàm impudentibus vulgò iactatur.

IBIDEM V. 17.

Fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ.

Πηγαὶ ἄνυδροι, νεφέλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι.

ACCOMMODATVR hoc Prouerbium ad pseudoprophetas, qui aliquid verbo pollicentur, re non præstant. Affine est illud B. Iudæ in Epistola sua Canonica v. 12. *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* & Prouerb. XXV. v. 13. *Nubes sine pluuia.* In tales quadrat Prouerbium vetus à Suida & Chiliaste expositum, *Charetis promissa.* & Naso:

Promittas facito: quid enim promittere læsit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.

CAP. II. V. 22.

Canis reuersus ad vomitum.

Κύων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἐξέραμα.

DESVMPTVM à Petro ex Salomonis Prouerb. c. XXVI. v. 10. *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.* Quadrabit Adagium primùm in apostatas, qui in hostium castra, aut ad sæculum transfugiunt: secundò in Epicureos, qui peccata semel ritè cõfessi, ad eadem mox reuertuntur, ac veluti ad lapidem iterùm impingunt. Hos acriter perstringit D. Chrysostomus 1. Timoth. II. Homilia V. ac tandem subiungit: *Homo qui auersus fuerit à peccato suo, & rursus pergens eadem fecerit, est instar canis ad vomitum suum reuersi.* Deinde etiam in asotos, quos M. Cicero lib. II. de Finib. & Philippica II. verbis tantum-non ex Salomone petitis ita depingit, quòd in mensam vomant, & de conuiuijs auferantur, crudique postridie se rursus ingurgitent. Canibus commune est, vbi sese auidiùs cibo ingurgitauerint, herbâ quadam comesâ vomitũ ciere, atque hoc pacto ventriculum suum exonerare: (sic Aristoteles lib. IX. de Hist. animalium cap. 6.) post verò eosdem cibos vt immundum animal per vomitum eiectos resorbere. Plutarchus in Quæst. Natur. sic ferè hanc parabolam tractat. D. Gregor. Parte III. Curæ Pastor. Admo. XXXI. *Canis quip-*

pe, inquit, *cùm vomit, profectò cibum qui pectus deprimebat, proijcit: sed cùm ad vomitum reuertitur, vnde leuatus fuerat rurſus oneratur. Et qui admiſſa plangunt, profectò nequitiam, de qua malè ſatiati fuerant, & quâ mentis intima deprimebant, confitendo proijciunt, quam poſt confeſſionẽ dum repetunt, reſumunt.* Fœdam hanc ſimilitudinem Scriptura vtriuſque Teſtamenti ad illos applicat, qui ſtultitiam vix depoſitam è veſtigio repetunt.

IBIDEM.

Sus lota ad volutabrum cœni.

Ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου.

AFFINE ſuperiori eſt hoc Adagiũ de ſuibus immundis luto ſe cum voluptate inquinantibus, vt T. Lucretius Carus canit lib. VI. de Rerum natura v. 924. Eamdem huius animalis naturam Alexander Aphrodiſæus l. I. Quæſt. 141. Plinius lib. VIII. Nat Hiſt. cap. 51. Varro lib. II. cap 4 Columella lib. VII. cap. 9. adeoque pænè omnes rei ruſticæ ſcriptores. Heraclitus Epheſius, eodem referente Columella lib. VIII. cap. 4. ſues cœno non aliter quàm aues cohortales puluere vel cinere, lauari aſſeruit. Varro lib. citato hanc ipſorum requiem exiſtimauit, vt lauationem hominis. Democritus apud Clem. Alexandr. lib. Προτρεπτ. *Sues*, inquit, *magis delectantur luto quàm aqua munda, & in quiſquilijs voluptate inſaniunt.* & veteris Philoſophi illud exſtat dictum de ſuibus, animam illis pro ſale, ne putreſcerent, datam videri, vt auctor eſt M. Tullius lib. I. de Nat. Deor. & lib. V. de Finibus. Cicero, ſeu quiſquis eſt auctor in Salluſtium inuectiua: *Nihil aliud ſtudet niſi vt lutulentus ſus cum quouis volutari.* In Sacris quoque litteris *porcorum* nomine intelligimus homines Epicureos, vel vt Clemens Alexandrinus explicat, ἡδονικούς, qui voluptatibus carnis ita ſunt immerſi, vt ijs omne religionis & honeſtatis ſtudium poſtponant. Sic Matthæi VII. v. 6. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Et quod eſt in Eccleſiaſtico c. XXXIV. v. 30. *Qui baptizatur à mortuo, & iterũ tangit eum, quid proficit lauatio illius? ſic homo qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterùm eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet?* Cœni verò appellatione complectimur prauas hæreticorum opiniones, quæ vt plurimùm cum flagitioſa turpitudine coniunctæ ſunt. Huius autem exempli vſus eſt apud Greg. Nazianz. Stilitent. I. vbi non ſine horrore commemorat, quo pacto Iulianus Imperator ſacrum Baptiſmũ impio victimarum ſanguine abluerit; tandemque ex Apoſtolo ſubiungit: Ὗς ἐν βορβόρῳ κυλισθεὶς, κατὰ τὴν παροιμίαν.

CAP. III. V. 10.

Sicut fur in nocte.

Ὡς κλέπτης ἐν νυκτί.

VT fures plerumque conticinio aut nocte intempeſta in ædes alienas irrepunt, cùm patremfamilias omneſque domeſticos, non ſemiſopitos, ſed altiſſimo ſomno grauatos ſuſpicantur: ita extremus dies, adeoque ipſe CHRISTVS iudex, orbi terrarum ſubitò imminebit, cùm maxima generis humani pars, ſecuro vitiorum ſomno

ſomno ſepulta, nihil minus exiſtimabit, Matthæi XXIV. v. 37, 38, 39. Lucæ XVII. v. 26, 27, 28, 29, 30. 1. Theſ. v. verſ. 3.

EPIST. B. IOAN. APOST. I.

CAP. IV. V. 18.

Charitas perfecta foras mittit timorem.

Τελεία ἀγάπη ἔξω βάλλει τὸν φόβον.

SI ex charitate intelligimus nos eſſe in Deo, & Deũ in nobis, nos filios eſſe, nos Deum noſſe, vitam æternam eſſe in nobis, rectè colligit pacem ac tranquillitatem animi neceſſariò conſequi charitatem. Quî enim reformidet, qui Deum habet à ſuis partibus? Rom. VIII. v. 31. Alius autẽ eſt timor ingenuus, & libero homine dignus, quando voluntate, non coactè nos ſubijcimus Domini imperio, cùm debito honore ac reuerentia. Hic timor comitem ſemper habet amorẽ. Nam qui amat, veretur eum quem amat. Conuenit Prouerbium ei qui nullius commiſſi conſcius cenſuram non formidat, vt plenus bonæ ſpei, quòd per charitatem fiat Deo acceptior.

CAP. V. V. 19.

Totus mundus in maligno poſitus eſt.

Ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται.

SIC etiam Syrus habet. Græci codices, ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται, *in malo iacet*: quod idem cum illo, *in malo eſt*. Sic Plautus Mercatore, *in fermento iacet*; & in Caſina; *Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi*. Ceterùm in malo iacere mundus dicitur, quia totus in peccato, quod malum eſt, quaſi ſepultus iacet. Oraculum hoc diuini Ioannis Prouerbij loco circumferri ſuetum. Sic in ſuum exclamauit ſæculum in Catilinam & Verrem M. Tullius: *O tempora! ô mores!*

EPIST. B. IOANNIS APOSTOLI II. VERS. 12.

Os ad os loqui.

Στόμα πρὸς στόμα λαλῆσαι.

SIC Paulus 1. Corinth. XIII. v. 12. *Facie ad faciem*. Auguſtinus de Geneſi ad lit. lib. XII. cap. 27. *Os ad os loquar ad illum, in ſpecie, & non per ænigmata*. Crebrò vulgi ſermone celebratur, pro eo atque eſt, præſentem cum præſente loqui.

EPIST. B. IVDÆ APOST. CATHOLICA. VERS. 12.

Nubes ſine aqua.

Νεφέλαι ἄνυδροι.

VIDE II. Petri cap. II. v. 17.

IBIDEM.

Arbores autumnales, infructuoſæ.

Δένδρα φθινοπωρινά, ἄκαρπα.

DE infrugiferis adhiberi queat. Græcè eſt, δένδρα φθινοπωρινὰ, id eſt arbores autumno aut flaccidæ aut corrumpi ſolitæ. Quidam vertit, *arbores autumno marceſcentes*. Pagninus, *Arbores emarcidæ*. Addendum erat, *autumno*. vetus enim Latinus interpres in Vulgata edit. reddit *autumnales*, & Græcè eſt compoſitum ἀπὸ τοῦ φθίνειν, quod eſt *corrumpere*.

APOCALYPSIS B. IOANNIS APOSTOLI.

CAP. III. V. 15.

Neque frigidus, neque calidus.
Οὔτε ψυχρὸς, οὔτε ζεστός.

VTRVMQVE vocabulũ accipiendum est in gradu excellenti. Quamobrem Andreas Aretas Cæsariensis ex interpretatione Gregorij Nazianzeni addidit in Apoc.cap.IX. ἀκριβῶς ζεῖν, ἢ ἀκριβῶς ἀποψύχεσθαι. *Insigniter feruere, vel insigniter frigere. Calidi* autem in Ecclesia dicuntur Christiani, qui Deum seriò colunt, & proximũ ardenter amant. Rom. XII. v.II. *Sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes. Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes.* Ita S. Gregorius Homil. XXX. Moral. lib. II. E contrario *frigidi*, homines impij sunt, qui Deum & Religionẽ planè ignorant, vel certè non curant. Sic Richardus, Beda, Ambrosius Serm. II. in Psal. CXVIII. Locus intermedius tribuitur *tepidis*, hoc est hypocritis, qui nolunt videri à religione omnino alieni. Sic Ambrosij nomine Comment. & idem verus in Psal. CXVIII. Saluianus lib. IV. de Prouidentia, S. Bernard. Serm. III. de Ascensione, qui inscribitur De intellectu & affectu. Huic æquipollet alterum Irenæi Prouerbium, Μήτε ἔξω, μήτε ἔσω, lib. I. Aduersus hæreses, sub finem, cap. 9. *Quædam*, inquit, (ex muliercul is à Valentino seductis) *prorsus defecerunt: aliæ in vtramque partem inclinant, atque ijs accidit, quod est in Prouerbio, vt neque intus sint, neque foris.*

CAP. XXI. V. 5.

Ecce noua facio omnia.
Ἰδοὺ καινὰ πάντα ποιῶ.

DEI vox est Ierosolymam instaurantis. Prædictum anteà ab Isaia c. XLIII. v. 19. & à Paulo II. Cor. v. v. 17. *Si qua in* CHRISTO, inquit, *noua creatura: vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua.* Gregorius Theologus cognomento, Orat. XXXVIII. Panegyricâ in CHRISTI natalem, initio: *Populus, qui in ignorantiæ tenebris sedet, magnam cognitionis & scientiæ lucem inspiciat. Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua. Littera cedit, spiritus superat; vmbræ prætereunt, veritas ingreditur.*

CAP. XXII. V. 12.

Reddere vnicuique secundùm opera sua.
Ἀποδοῦναι ἑκάστῳ ὡς τὸ ἔργον αὐτοῦ ἔσται.

MONET Prouerbium, Deum vindicem esse, vt iustis præmia, improbis verò pœna ac supplicium sit propositum. qui in extremo illo vniuerso iudicio iustos sic aduocabit: *Venite benedicti Patris mei.* repellet verò ac profligabit impios: *Ite maledicti in ignem æternum.* In Sacris litteris innumerabilibus occurrit locis, quæ non transcribo. Ex exemplo Simonis Magi Act. VIII. S. Isidorus Pelusiota libro I. Epist. 13. *Ex alto*, inquit, *miser in mortem multorum sermone celebratissimam præceps ruit: vt ex vna ipsius ruina perspicuum omnibus fiat, quibus supplicijs digni sint, qui cæleste curriculum mentiuntur.* Mox concludit: *Merces cum eo est, quam vnusquisque secundùm suum laborem accipiet.* Et apud gentes

Solon Atheniensium legislator duabus rebus contineri Rempub. aiebat, *Præmio* ac *Pœna*, vt auctor est Cicero Epist. ad Brutum.

IBIDEM V. 13.

A & Ω.

PROVERBIVM quod CHRISTVS in Apocalypsi ter de seipso protulit cap. I. vers. 8. & c. XXI. v. 6. & c. XXII. v. 13. desumptum est ex ordine litterarum in Alphabeto Græco, è quo Marcus & Colabersus hæretici, vt Tertullianus de Præscript. aduersus hæreticos, cap. 50. lusu quodam Anagrammatico, multa inepta & periculosa dogmata exstruxerūt, hoc CHRISTI exemplo ad vanitatis suæ præsidium impudenter abusi. Quo vero pacto hæ litteræ explicari debeant, monet ipse CHRISTVS, cùm subijcit, πρῶτος καὶ ἔσχατος, *Primus & nouissimus*. D. And. Cæsariensis annotat cap. 66. & Pererius noster: *Primus propter diuinitatem, nouissimus propter humanitatem.* eodem fortasse sensu, quo plerique veterum acceperunt illud Isaiæ c. LIII. v. 3. *nouissimus virorum.* Aliam rationem adfert Clemens Alexandrinus lib. IV. Stromatum: *Ideò Verbum dictum est* A & Ω, *cuius solius finis sit principium, & rursus desinit in id quod est desuper principium, nusquam distantiam accipiens aut dimensionem.* Et Tertullianus de Monogamia cap. 5. *Duas Graciæ litteras, summam & vltimam, sibi induit Dominus, initij & finis concurrentium in se figuras. vti quemadmodum* A & Ω *vsque voluitur, & rursus* Ω & A *replicatur, ita & ostēderet in se esse & initij decursum ad finem, & finis recursum ad initium: vt omnis dispositio in eum desinens, per quem cœpta est, per sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde desinat, quemadmodum & cœpit. Et adeò in* CHRISTO *omnia reuocantur ad initium*, &c. Gregorius cognomento Theologus in Acrostichide Alphabeti iambico:

Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιοῦ Θεόν.

Agendi origo semper & finis Deus.

Veteres etiam Græci Latinique sic de Deo præfare soliti. Virgilius:

Ab Ioue principium. —

& Horatius:

A te principium tibi desinet. —

Sic Plato: *Deus est qui principium, medium & finem rerum omnium complectitur.* Nobis A & Ω, siue *primus & nouissimus* idem est qui *æternus*, ante omnia existens, & post omnia in æternum permanens, Psal. CI. v. 28. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Isa. XLIII. v. 10. *Ante me non est formatus, & post me non erit.* Exstant nummi Constantini Magni Cæsaris primi Christianorum Imp. ac fautoris, cum his litteris X & P. quæ primæ sunt in CHRISTI nomine, & vtrimque A & Ω, hac figura:



Christiani olim, vigente Arianismo, vt se Orthodoxos non Arianos profiterentur, suis sepulchris incidi curabant A & Ω, vti scribit Ambrosius Mora-

Morales Cordubensis lib. II. Annal. Hisp. c. 41. Græcanicas autem notas vsurpauit Apostolus, quia Græcè scripsit. Vsi sunt hoc loquendi schemate vel veteres, dicente Martiale lib. v. Epigram. XXVII. in Codrum, vocans illum Alpha pęnulatorum, id est inter plebeios primum & quasi principem.

Quòd alpha dixi, Codre, pænulatorum
Te, nuper aliqua cùm iocarer in charta,
Si fortè bilem mouet hic tibi versus,
Dicas licebit, beta me togatorum.

Hinc & *alpha* & *beta* pro primo & secundo ponuntur, quia Græci ab notulis litterarum numerum notant, vt & Hebræi. De *Alpha* autem plura in Photij legas Bibliotheca. Extat & memorabile *Pentalpha*, id est quintuplex alpha, ex quinque angulis pentagoni prosiliens, apud Lucianum, Ioan. Pierium Hierogl. 47. & Bened. Pierium nostrum, quem lege. & in nummis Antiochi cum his litteris ΥΓΕΙΑ, id est *sanitas* vel *salus* inscriptum.



I N-

INDEX
ADAGIALIVM
NOVI TESTAMENTI
In Euangelijs atque Epistolis Apostolicis, quæ Dominicis Festisque diebus per annum proponi solent.

Numerus est paginarum : a,b, *priorem alteramque designant columnam.*

APOSTOLICARVM EPISTOLARVM PER ANNVM.

ADAGIALIA FESTORVM DIERVM PER ANNVM.

EPISTOLARVM FESTORVM DIERVM

PER ANNVM.

In



INDEX
ADAGIALIVM SACRORVM NOVI TESTAMENTI,
Materiarum & Locorum congruentium aut pugnantium, Alphabeti serie.

E numeris prior caput, posterior capitis versum indicat.

A.



BSTINENDVM alienis,& studendum proprijs.

Non est bonum sumere panem filiorum,& mittere canibus. Matth.xv. 26.

Sciat vnusquisque vas suum possidere. 1.Thess.IV.4.

Abundanter erogare eleëmosynas.

Qui parcè seminat, parcè metet. II.Cor.IX.6.

cùm Accidit aliquid subitò, & præter spem.

Spiritus vbi vult spirat. Ioan.III.8.

Accidit ex optato.

Vir secundùm cor. Act.XIII.22.

Accusator.

Vade post me satana. Matth.XVI.23.

Admittere omnes promiscuè.

Sagena ex omni genere piscium congregans. Matth.XIII. 47.

Admonitio prouerbialis, diligenter & attentè auscultandi.

Qui habet aures audiendi,audiat. Mat.XI.15.

Aduersitatem æquanimiter ferre.

Tollite iugum. Matth.XI.29.

in Aduersarium hominem.

Vade post me satana. Matth.XVI.23.

cùm Aduersamur alijs meritò.

Qui non est mecum, contra me est. Qui non colligit mecum, spargit. Matth.XII. 37.

Adulari,assentari,blandiri,dolosè,perniciosè, & spe commodi.

Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Galat.I.10.

cuique Ætati sunt sui mores & sensus.

Cùm essem paruulus. I.Cor.XIII.11.

Ætatem habet. Ioan.IX.23.

Affligi, ærumnosum esse.

Calicem bibere. Matth.XX.22.

Agere rem difficillimam, incredibilem, & admiratione dignam.

Montes transferre. I.Cor.XIII.2.

in eum, qui Alienam laudem,gloriam & laborem sibi soli vindicat.

Alius seminat,alius metit. Ioan.IV.37.

Alijs pro ætate vel dignitate alia conueniunt.

Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Matth.IX.16.

cùm Alijs meritò aduersamur.

Qui non est mecum, contra me est. Qui non colligit mecum, spargit. Matth.XII.37.

in eos qui alios Amant,alios oderunt.

Non est acceptio personarum apud Deum. Rom.II. 19.

in Amorem crescentem.

Charitas ædificat. I.Cor.VIII.I.

Amor non vult diuidi.

Nemo potest duobus dominis seruire. Matthæi VI. 24.

Amici sunt verecundi.

Diliges proximum. Matth.V. 43.

in Amicum falsum,& insidias struentem.

Amice,ad quid venisti. Matth.XXVI.50.

in eos qui Amicitiam inter se conciliant flagitij alicuius causa.

Facti sunt amici Herodes & Pilatus. Lucæ XXIII.12.

Amicitiæ origo est, diuitiæ & largitiones.

Cui minus remittitur,minùs diligit. Luc.VII. 47.

Ambi-

in Consulentem praua.
Vade post me satana. Matth.XVI.23.
Consolandi afflictos modus.
Quem diligit Dominus, corripit. Heb.XIII.14
Constantem esse.
Non resistere malo, sed prabere percutienti alteram maxillam. Matth.V.39.
Quod scripsi, scripsi. Ioan. IX.22.
in Constantiæ præmium.
Beatus vir qui suffert tentationem. Iac.I.12.
in eum qui Consuetudinem bonorum negligit.
Qui non colligit mecũ, spargit. Matth.XII.30.
Consuetudo malorum vitanda.
Corrumpunt mores bonos colloquia mala. I.Cor.XV.33.
Contemnere.
Spuere in faciem. Matth.XXVI.30.
Contentus sua sorte.
Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. I.Cor.VII.20.
Aliud vas in honorem, aliud in ignominiam. Rom.IX.21.
Contumelia afficere.
Percutere maxillam. Matth.V.39.
in non Conuenientes res.
Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Matth.IX.16.
Non mittunt vinum nouum in vtres veteres. ibid. 17.
Conuenire.
Vbicumque fuerit cadauer, ibi & aquila. Matth.XXIV.28.
Conuersatio bonorum & malorum.
In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia. II. Timoth.II. 20.
Conuersio hominum.
Messis multa, operarij verò pauci. Mat.IX.37.
Cor purum ab omni scelere.
Beati mundo corde. Matth.V.8.
Cor hominis latens.
Thesaurus absconditus. Matth.XIII.44.
Cor hominis perspicitur ex sermone.
De ore tuo te iudico. Lucæ XIX.22.
Corpus suum cuiuis curandum.
Sciat vnusquisque vas suũ possidere. I.Thessal.IV 4.
in Corpus humanum imbecillum valdè.
Thesaurus in vasis fictilibus. II.Cor.IV. 7.

in Corrigentes vitia aliena, & sua multò maiora negligentes.
Eijce primùm trabem de oculo tuo. Mat.VII 5.
Corrumpere.
Adulterantes verbum Dei. II. Cor.II. 17.
in eos qui se Corrumpi non sinunt.
Omnia munda mundis. Tit. I.15.
non Credere.
Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Ioan.XII.35.
in tardè Credentes.
O stulti & tardi corde. Lucæ XXIV.25.
in Cupidos alienorum.
Contenti estote stipendiis vestris. Luce III.14.
Cupiditas omniũ malorũ radix I.Tim.VI.10.
Curæ sunt omnia Deo.
Vnus passer non cadet super terram. Matthæi X.29.
Capillus de capite vestro non peribit. Luc.XXI 18.
non Curo.
Nescio vos. Matth.XXV. 12.
Curanda propria.
Sciat vnusquisque vas suũ possidere. I.Thessal.IV.4.
Cura habenda de humana vita degenda.
Non in solo pane viuit homo. Matth. IV.4.
in Curantes tantùm sua commoda.
Mercenarius fugit, quia mercenarius est. Ioan.X.11.
in temerè Curiosos.
Beati qui non viderunt, & crediderunt. Ioan.XX.29.

D.

in Damnantem alium criminis, cuius ipsemet est reus.
De ore tuo te iudico. Lucæ XIX.22.
in Damnantem incognitâ causâ.
Crucifige, crucifige. Lucæ XXIII.21.
Damnum minus anteponendum maiori.
Expedit vt pereat vnum membrorum. Matthæi V.29.
Dare largè.
Non ad mensuram dat Deus spiritum. Ioannis III.34.
in eos quibus numquã non Datur aliquid.
Qui habet, dabitur ei, & abundabit. Matthæi XIII.12.
nihil Dandum sacri boni've indignis.
Nolite dare sanctum canibus. Matth. VII.6.

Docet indoctus indoctum.

Cæcus cæcum ducit. Matth. xv. 34.

in Doctum, qui conuersatur indoctis & obscuris.

Lux in tenebris lucet. Ioan. I. 5.

Doctrina bona, sana, pura.

Sal ne insulsum. Matth. v. 13. Marci IX. 50.

Doctrina praua, Pharisaica, impia, mendax, hypocritica.

Seminare Zizania. Matth. XIII. 25.

Fermentum in farina absconditum. v. 33.

Doctrinam veteris & noui Testamenti scire debent Episcopi & sacerdotes.

Scriba doctus profert de thesauro suo noua & vetera. Matth. XIII. 52.

Doctrina malorum fugienda.

Corrumpunt mores bonos colloquia mala. I. Cor. XV. 33.

in Dolos, qui recedunt ad malos.

Spiritus immundus reuertitur in domum vnde exiuit. Matth. XII. 44.

in Donorum Dei largitionem.

Non ad mensurā dat Deus spiritū. Ioā. III. 34

in Dubitantes.

Modica fidei quare dubitasti? Mat. XIV. 31.

in eos qui Duobus satisfacere student.

Nemo potest duobus dominis seruire. Matthæi VI. 24.

E.

Ecclesia.

SAGENA *ex omni genere congregans.* Matthæi XIII. 47.

Ecclesiastica officia ambienda.

Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. I. Tim. III. I.

in Edaces & voraces,

Vbicumque fuerit cadauer, ibi & aquilæ. Matthæi XXIV. 28.

in Egentes nullius ope vel castigatione.

Non est opus medico valentibus, sed male habentibus. Matth. IX. 12.

Eleëmosynas abundanter erogare.

Qui parcè seminat, parcè metet. II. Cor. IX. 6.

Eleëmosynam conferre sine gloriationis & ambitionis affectu.

Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera. Matth. VI. 3.

Eleëmosynam præstare.

Facite amicos de mammona iniquitatis. Lucæ XVI. 9.

in Electorum numerum.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matthæi XX. 16.

Episcopus scire debet doctrinam veteris & noui Testamenti.

Scriba doctus profert de thesauro suo noua & vetera. Matth. XIII. 52.

in Episcoporum officium.

Cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Lucæ XII. 48.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Ioan. X. II.

non Errare.

Rectè ambulare. Galat. II. 14.

in Errantem de quauis re.

Cor obcæcatum. Mar. VI. 52.

Euangelium.

Fermentum in farina absconditum. Matthæi XIII. 33.

Si granum frumenti mortuum fuerit, multum affert fructum. Ioan. XII. 24.

Sagena ex omni genere congregās. Mat. XIII. 47

Euangelium non communicandum impijs, hæreticis & pertinacibus infidelibus.

Nolite dare sanctum canibus. Matth. VII. 6.

Ex animi sententia.

Vir secundùm cor. Act. XIII. 22.

in Excidium futurum.

Nō relinquetur lapis super lapidē. Mat. XIII. 2

in eos qui Excitari nullo modo queunt.

Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentauimus, & non planxistis. Matth. XI. 17.

Excommunicare.

Excutite puluerem de pedibus. Matth. X. 14.

Excusare se.

Pilatus lauit manus coram populo. Matthæi XXVI. 24.

in eos qui se alijs Extollunt.

Non est discipulus supra magistrū. Mat. X. 24.

F.

secundùm Factū iudicandus homo est.

OPERIBVS *credite.* Ioan. X. 38.

Factum suū nemo improbare debet.

Opus suum probet vnusquisque Galat. VI. 4.

in Fallaces homines.

Vulpes foueas habent Matth. VIII 20.

Fauemus cui volumus.

Spiritus vbi vult spirat. Ioan. III. 8.

in Fictè honorantes.

Honorare labijs tantùm. Matth. XV. 8.

in Humanitatis officium.

Qua mensura mensi fueritis. Matth.VII 6.

Date, & dabitur vobis. ibid. 6.

in Humanitatis præmium.

Qui se humiliauerit, exaltabitur. Mat.XXIII.II.

in eos qui in Honore summo vbique sunt.

Spectaculum facti sumus. I.Cor.IV.9.

Honorandi humiles.

Amice ascende superiùs. Lucæ XIV 10.

in Honorantes fictè.

Honorare labijs tantùm. Matth.XV.8.

in eum qui ad Honores immeritus perducitur.

Amice, quomodo huc intrasti? Mat.XXII.12.

Hostis.

Nolite dare sanctum canibus Matth.VII.6.

Humiliare se.

Non dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. Ioan.I.17.

in Humilitatis præmium & dignitatem.

Beati pauperes spiritu. Matth.V.3.

Qui se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur. Matth.XXIII.II.

Amice, ascende superiùs. Lucæ XIV.10.

Hypocrita.

Paries dealbatus. Act.XXIII.3.

Vestimenta ouium. Matth.VII.15.

Progenies viperarum. Matth.XII.34.

Hypocritam esse.

Tuba canat ante se. Matth.VI.2.

Exterminant facies suas. ibid.16.

Honorare labijs tantùm Matth.XV.8.

Dicunt & non faciunt. Matth.XXIII.3.

Imponere in humeros hominum onera grauia. ibid.4.

Dilatant phylacteria. ibid..5.

Primos amare accubitus. ibid.6.

in Hypocritas.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine. Matth.VII.21.

in Hypocritas reprehensores.

Eijce primùm trabem de oculo tuo. Matthæi VII.5.

Medice cura teipsum. Lucæ IV.23.

in Hypocritarum religionem.

Vestimenta ouium. Matth.VII.15.

Numquid colligunt de spinis vuas? ibid. 16.

in Hypocritarum præmium.

Receperunt mercedem suam. Matth. VI.12.

I.

Iactare insolenter & arroganter studia & beneficia.

TVBA *canat ante se.* Matth.VI.2.

in Iactatores magnificos.

Non qui seipsum commendat, ille probatus est. II.Cor.X.18.

in Iactatorem suorum beneficiorum.

Ieiuno bis in sabbato. Lucæ XVIII.12.

in eum qui Idoneus non est ad Christianam militiam.

Nemo mittens manum suam ad aratrũ, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Luc.IX.62.

Ieiunare.

Exterminant facies suas. Matth.VI.16.

in Ignarum hominem.

Qui ignorat, ignorabitur. I.Cor.XIV.38.

Ignominia afficere.

Spuere in faciem. Matth.XXVI.30.

in non Ignoscendam culpam sine pœna.

Sine sanguinis effusione non fit remissio. Heb.IX.22.

in eum qui Immeritus ad honores aliquos perducitur.

Amice, quomodo huc intrasti? Mat.XXII.12.

Immundus homo.

Sus lota ad volutabrum cœni. II.Pet.II.21.

in Impedientem hominem alienos benè agentes.

Vade post me satana. Matth.XVI.23.

Impius homo.

Quæ conuentio Christo ad Belial? II.Cor.VI 15.

in Impiorum commercium.

Sine mortuos sepelire mortuos suos. Matthæi VIII.22.

Impius impium docet.

Cæcus cæcum ducit. Matth.XV.14.

Impossibilem rem præstare.

Montes transferre. I.Cor.XIII.2.

in Imprudentes.

Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Lucæ XIV.30.

Omnia licent, sed non omnia expediunt. I.Cor.VI.12.

Impudentissimum esse.

Velamen malitiæ libertas. I.Pet.I.16.

in Incognitum negotium alijs.

Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Ioan.IV.32.

in Iudicium, quod fit præcipitánter incognita causa.

Crucifige, crucifige. Lucæ XXIII.21.

Iudicandum rectè ac iustè.

Qua mensura mensi fueritis. Matth.VII.2.

Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate. Ioan.VII.24.

Iudicandi potestatem habere.

Ventilabrum in manu eius. Matth.III.12.

Iudicandus homo secundùm factum.

Operibus credite. Ioan.X.38.

Iusiurandum, est omnis sermo verax.

Est, est, Non, non. Matth.V.37.

Ius naturæ & æquitatis seruandum.

Qua mensura mensi fueritis. Matth.VII.2.

Iustus homo.

Segregare oues ab hœdis. Matth.XXV.32.

In iustorum calamitatem.

Omnes qui piè volunt viuere, persecutionem patientur. II.Tim.III.12.

in eos qui non Iustitiæ, sed personarum habent respectum.

Non est acceptio personarum apud Deum. Rom.II.11.

Infirmus infirmum iuuat.

Cæcus cæcum ducit. Matth.XV.14.

Iuuare nos vicissim debemus.

Alter alterius onera portate. Galat.VI.2.

L.

in eos qui ex Laboribus alienis præmium sibi petunt & vendicant.

ALIVS *seminat, alius metit.* Ioan.IV.37.

Si quis non vult operari, non manducet. II.Thess.III.10.

de Labore nihil mercedis accipere.

Excutite puluerem de pedibus. Matth.X.4.

Labore proprio victus parandus.

Si quis non vult operari, non manducet. II.Thess.III.10.

in eum qui Laboris ratione alijs plus meruit.

Porta minùs pondus diei & æstum. Mat. XX.12.

in Laboriosa opera primò quidem, sed perfecta, deinde iucunda & vtilia.

Mulier cùm parit, tristitiam habet. Ioannis XVI.21.

Laborare frustrà.

Super arenam ædificare. Matth.VII.26.

Aërem verberare. I.Cor.IX.26.

in non frustrà Laboraturum.

Semen in terram bonam cecidit. Matthæi XIII.5.

in eum qui frustrà Laborauit.

Semen in petrosa cecidit. Matth.XIII.5.

non gratuitò Laborandum, quia laborantibus, sua debetur merces.

Non coronabitur, nisi legitimè certauerit. II.Tim.II.5.

Non infrænabis os boni trituráti I.Tim.V.18.

Quis militat suis stipendijs vmquam? I.Corinth.IX.7.

Non ligabis os bouis triturantis ibid.9.

Laborantes vnà, vnà esse debent participes præmij.

Socij passionum, etiam consolationis. II.Corinth.I.7.

in æquè Laborantes, qui non sunt participes eiusdem præmij.

Duo in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Matth.XXIV.40.

Laborandum omnibus.

Si quis non vult operari, nec manducet. II.Thess.III.10.

Lacessendi non sunt potentiores & noxij.

Non tentabis Dominum Deum tuum. Matthæi IV.7.

in eum qui Lædere potest.

Ventilabrum in manu eius. Matth.III.12.

nemo Lædendus.

Diliges proximum. Matth.V.43.

Lætitia in aduentu amici.

Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Matth.IX.15.

in Largitionem donorum Dei.

Non ad mensuram dat Deus spiritum. Ioannis III.34.

in eos qui Largitionibus sibi cum alijs ineunt gratiam & amicitiam.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Lucæ XVI.9.

in eos qui Laudant seipsos.

Non qui seipsum commendat, ille probatus est. II.Cor.X.28.

in eum qui Laudat aliquem fictè & blandè.

Honorare labiis tantùm. Matth.XV.8.

in locum, à quo nihil quidquam Laudabile proficisci potest.

A Nazareth quid boni? Ioan.I.5.

Nihil est opertum quod non reueletur. Matthæi x.26.

Malum repentè ingruens.

Sicut fur in nocte. 1.Thess. v.2.

Malum compensare bono.

Non resistere malo, sed præbere percutienti alteram maxillam Matth.v.39.

Malum linguæ.

Exiguus ignis quantam siluam incendit. Iacob.III.5.

Mala perferre.

Calicem bibere. Matth.xx.22.

Mala omnia Christi causâ sufferenda.

Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Matth.x.39.

Mala omnia bona sunt, iustis & sanctis.

Diligentibus Deum omnia in bonum. Rom. VIII.28.

in eos qui se à Malo alienos videri volunt.

Pilatus lauit manus coram populo. Matthæi XXVII.24.

Malitia.

Modicum fermentum totam massam corrumpit. 1.Cor.v.6.

in Malefactum quod malefacto cumulatur.

Nouissimus error peior priore. Matthæi XXVII.64.

in eum cuius est Maleficia tollere è medio.

Ventilabrum in manu eius. Matth.III.12.

Manifestare.

Prædicare super tecta. Matth.x.27.

Manifestum.

Lucerna ne sub modio. Matth.III.16.

in eum qui Manifestat occulta.

Propheta es tu? Ioan.IV.9.

in Matrimonij fœdifragos.

Quod Deus coniunxit, homo non separet. Matth.XIX.6.

in Medicorum vsum & necessitatem.

Non est opus medico valentibus, sed malè habentibus. Matth.IX.12.

in Medicos πλυωραγμονας & vitiosos.

Medice cura teipsum. Lucæ IV.23.

in Mendaces.

Cretenses semper mendaces Tit.1.12.

Mendicare.

Domos comedere viduarum. Mat.XXIII.14.

Merces sua laborantibus non deneganda.

Non ligabis os bouis triturantis. 1.Cor.IX.9. 1.Tim.v.18.

Dignus est operarius cibo suo. Matth.x.10. 1.Tim.v.18.

Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus accipere. II.Tim.II.6.

Quis militat suis stipendiis vmquam? 1 Corinth.IX.7.

in eos qui Mercedem immeritò petunt aut recipiunt.

Si quis non vult operari, nec manducet. II.Thess.III.10.

nihil quidquam Mercedis accipere de labore suscepto.

Excutite puluerem de pedibus. Mat.x.14.

in eum qui plus Meruit alijs, ratione laboris.

Portauimus pondus diei & æstum. Matthæi XX.12.

in erga benè Meritum ingratum.

Incrassatum est cor populi. Matth.XIII.15.

Metum vincit pietas & beneuolentia.

Charitas perfecta foras mittit timorem. 1.Ioan.IV.18.

in Milites prædas agentes.

Contenti estote stipendijs vestris. Luc.III.14.

Minandi prouerbium.

Expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius. Matth.XVIII.6.

Minus meliúsve damnum, seu malum maiori præponendum.

Expedit vt pereat vnum membrorum. Matthæi v.29.

Minori seruiet maior. Rom.IX.12.

Mores mali & impij.

Modicum fermentum totam massam corrumpit. 1.Cor.v.6.

in malorum & corruptorum Morum homines.

Progenies viperarum. Matth.XII.34.

cuique ætati sunt sui Mores.

Cùm essem paruulus. 1.Cor.XIII.11.

in eum qui Mores suorum cognoscit intus & in cute.

Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Ioan.x.14.

Mori voluntariè.

Calicem bibere. Matth.xx.22.

Mors multis salutifera.

Si granum frumenti mortuum fuerit, multum affert fructum. Ioan. XII. 24.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Ioannis XVI. 20.

Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Matth. X. 39.

in Mortis discrimen se conijcere.

Ad bestias depugnare. I. Cor. XV. 32.

Mortis hora incerta.

Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Matth. XXV. 12.

in eum qui ad Mortem publicè petitur.

Crucifige, crucifige. Lucæ XXIII. 21.

in Mortuos hominibus salutiferos.

Si granum frumenti mortuum fuerit, multum affert fructum. Ioan. XII. 24.

Mortalis omnis homo.

Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Heb. XIII. 14.

Mortificare malas concupiscentias cordis.

Si oculus tuus scandalizat te. Matth. V. 25.

in Multiloquium.

Βαττολογεῖν, multùm loqui. Matth. VI. 7.

in Multitudinem Christianorum.

Meßis multa, operarij verò pauci. Mat. IX. 37

Multitudo magna.

Tamquam arena maris. Rom. IX. 27.

Mundana negligenda pijs.

Sapientia huius mundi stultitia est apud Deũ. I. Cor. III. 19.

in Mundi statum.

Mũdus totus in maligno positus est. I. Ioã. V. 19

in eum qui non vult Mutare sententiam aut factum.

Quod scripsi, scripsi. Ioan. XIX. 22.

Mysteria Dei infidelibus non communicanda.

Nolite dare sanctum canibus. Matth. VII 6.

N.

Negotium facessere.

IMPONERE *in humeros hominum onera grauia.* Matth XXIII. 4.

in Negotium alijs incognitum.

Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Ioan. IV. 32.

in eum, qui se non vult interponere in Negotium aliquod gerendum.

Pilatus lauit manus coram populo. Matthæi XXVII 24.

in eum qui sua Negotia tantùm curat.

Non sum missus nisi ad oues perditas. Matthæi XV. 24.

Nequam, nebulo.

Quæ conuētio Christo ad Belial? II. Cor. VI. 15

in eum, qui Nescit tractare id quod ignarus est aggressus.

Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Ioan. XII. 35.

in hominem suæ artis & professionis Nescium.

Tu magister in Israel, & hæc ignoras? Ioannis III. 10.

in hominem stultum, qui vel manifestissima & publica Nescit.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem. Ioannis XXIII. 18.

in Nobiles redactos in ordinem obscurorum.

Multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Matth. XX. 30.

Nocere nemo potest electis Dei.

Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Rom. VIII. 31

Nostris in primis consulere decet ante alienos.

Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Matth. XV. 26.

Primus & Nouissimus.

Alpha & Omega. Apoc. XXII. 13,

O.

Obediendum Deo soli præ alijs omnibus.

OBEDIRE *oportet Deo magis quàm hominibus.* Act. V. 29.

Obediendum omnibus.

Non est potestas, nisi à Deo Rom. XIII. 1.

in Obscura verba & tecta.

Non omnes capiunt verbũ hoc. Mat. XIX. 11.

in Obscuros homines nobilium honores & imperia assecutos.

Multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Matth. XIX. 30.

in eum qui inter homines vel loca Obscura præcellit, aut parum auctoritatis habet.

Lux in tenebris lucet. Ioan. I 5.

Obtrectator.

Nolite dare sanctum canibus. Matth. VII. 6.

Occasio.

Ostium mihi apertum est magnum. I. Cor. XVI. 9.

in ea quæ Occultari nequeunt.

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Matth.v.14.

in eum qui Occulta manifestat.

Propheta es tu? Ioan IV.9.

in rem optimam & egregiam quæ est Occulta.

Lucerna ne sub modio. Matth.v 16.

Thesaurus absconditus. Matth.XIII.44.

nihil Occultum latere potest.

Nihil est opertũ,quod nõ reueletur. Mat.x.26.

Oculi coërcendi à malis.

Si oculus tuus scandalizat te. Matth.v.20.

ex Oculis libido.

Oculos plenos adulterij habentes. II.Pet.II.14.

in Odium iniustum.

Diliges proximum. Matth.v.43.

in eos qui Oderunt alios,alios amant.

Non est acceptio personarum apud Deum. Rom.II.II.

Offendendus nemo

Qua mensura mensi fueritis. Matth.VII.2.

in Officij sui immemores, & negligentes.

Imponere in humeros hominum onera grauia. Matth.XXIII.4.

Cui multum datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Lucæ XII.48.

Officij sui negligens nihil præmij honorísve capit.

Non coronabitur, nisi legitimè certauerit. II.Tim.II.5.

in eum, qui in lucrum solùm intentus non curat quid suum Officium sit.

Omnes quæ sua sunt,quærunt. Philip II.21.

in eos,qui suo tantùm Officio funguntur.

Non sum missus nisi ad oues perditas. Matthæi XV.24.

omnibus modis Officium faciendum cuilibet.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Ioan.x.11.

Opus suum probet vnusquisque. Gal.VI.4.

Officium naturæ, humanitatis & Christiani.

Date,& dabitur vobis. Matth.VII.6.

Prout vultis vt faciant vobis homines,& vos facite illis. Lucæ VI.31.

Qui parcè seminat.parcè metet II.Cor.IX.6.

Quæ seminauerit homo metet. Galat.VI.7.

Officia maiora conferre.

Mensuram bonam & confertam, & coagitatam,& supereffluentem date. Lucæ VI.38.

in Officia multis præstanda.

Sapientibus & insipientibus debitor sum. Rom.I.14.

Officia Ecclesiastica ambienda.

Si quis Episcopatum desiderat,bonum opus desiderat. I.Tim.III.I.

in id quod omnibus Obseruandum.

Quod vobis dico,omnibus dico,vigilate. Marci XIII.37.

in eum qui nulli negotio ritè suam impendit Operam.

Nemo mittens manum suã ad aratrum,& respiciens retrò aptus est regno Dei. Luc.IX.62.

in Opes & opulentos.

Requiesce,comede,bibe,epulare. Lucæ XII.19.

ex Optato contingit.

Vir secundùm cor. Act.XIII.22.

in Opus laboriosum primò, at perfectum, deinde iucundum & vtile.

Mulier cùm parit,tristitiã habet. Ioã.XVI.21

in eos qui Orant pro subsidio in aduersis.

Ne fiat fuga vestra hieme, neque sabbato. Matth.XXIV.20.

in Orationes prolixas.

Βαττολογεῖν multum loqui. Matth.VI.7.

in Ordinem præposterum.

Multi erunt primi nouissimi,& nouissimi primi. Matth.XIX.30.

in Ordinem & dignitatem ex improbis hominibus adauctam.

Sagena ex omni genere congregãs. Mat.XIII.47.

in alicuius Ordinis hominem.

Et tu ex illis es. Matth.XXVI.73.

in eum qui ex Ordine ascitus est ad aliquid.

Tamquam abortiuo. I.Cor.XV.8.

de Ordine in re aliqua seruanda.

Diligenter ex ordine scribere. Lucæ I.3.

Os est humani cordis speculum.

Ex abundantia cordis os loquitur. Mat.XII.34.

in Os impudens & temerarium.

De ore tuo te iudico. Lucæ XIX.22.

in eum qui ad Ostentationem cuncta facit.

Tuba canat ante se. Matth.VI.2.

in eos qui ad Ostentationem solummodò concionantur.

Adulterantes verbum Dei. II.Cor.II.17.

de re Periculosa.
*Noli me tangere.*Ioan.xx.17.
Periculis seipsum obijcere & periclitari.
*Ad bestias depugnare.*I.Cor.xv.32.
in eos qui Personarum & rerum, non iustitiæ habent respectum.
*Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.*Ioan.VII.24.
Non est acceptio personarum apud Deum. Rom.II.11.
Peruersus homo.
*Vnusquisque in suo sensu abūdet.*Rom.XIV.5
in eos qui facilè Peruertuntur.
Ad fabulas conuertentur. II.Tim. IV.4.
in Perterritos.
Tristitia vestra vertetur in gaudium. Ioan. XVI.20.
in Pessimum hominem qui nihil boni facere potest.
Malus homo de malo thesauro profert mala. Matth.XII.35.
in Pestilentes homines.
*Fermentū in farina absconditū.*Mat.XIII.33.
Petentibus rectè nihil est negandum.
*Date, & dabitur vobis.*Matth.VII.6.
in Pharisaicos.
Dilatant phylacteria. Matth.XXXIII.5.
Excolare culicem, camelum autem deglutire. ibid.24.
Pietas & beneuolentia vincit metum.
Charitas perfecta foras mittit timorem. I.Ioan.4.18.
Pius homo.
In magna domo vasa aurea & argentea. II.Tim.II.20.
in Pium erga suos.
Gallina congregat pullos suos sub alas. Matthæi XXIII.37.
in Pios calamitates accipientes.
*Omnes qui piè volunt viuere, persecutionem patientur.*II.Tim.III.12.
Pijs mundana negligenda.
Sapientia huius mundi stultitia est apud Deū. I.Cor.III.19.
in eos qui Placere hominibus student.
Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Galat.I.10.
in Pœnam præsentem.
Iam securis ad radicem arboris posita est. Matth.III.10.

Pœnam peccati sui vnusquisque luet.
*Opus suum probet vnusquisque.*Gal.VI.IV.
in eos qui tandem Pœnas luunt suorum peccatorum.
Receperunt mercedem suam. Matth.VI.2.
in peccatū sine Pœna non condonandum.
Sine sanguinis effusione non fit remissio. Heb. IX.22.
in falsos Pœnitentes.
Pœnitentiâ ductus retulit argenteos. Matthæi XXVII.3.
in eos qui verbo Pollicentes, re non præstant.
*Fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ.*II.Pet.II.17.
Possibilia omnia Deo.
*Apud Deum omnia possibilia.*Matth.XIX.26.
Potentiores & noxij non sunt lacessendi.
*Non tentabis Dominū Deum tuū.*Mat.IV.7.
in eum qui Potest aliquid.
*Ventilabrum in manu eius.*Matth.III.12.
in Potestatum auctorem.
*Non est potestas nisi à Deo.*Rom.XIII.I.
in casum Potentum.
*Deus superbis resistit.*Iac.IV.6.
in Præcepta humana studiosiùs seruantes, quàm diuina.
Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Matth.XXIII.24.
in Prædicentes futura.
Non est vestrûm nosse tempora vel momenta. Act.I.7.
in rectè Præfectura sua fungentem.
*Super pauca fuisti fidelis.*Matth.XXV.21.
Præmij nihil honorísve capit officij sui negligens.
Non coronabitur, nisi legitimè certauerit. II.Tim.II.5.
Præmium reportabit quisque suis factis dignum.
*Quæ seminauerit homo, metet.*Gal.VI.7.
*Qui parcè seminat, parcè metet.*II.Cor.IX.6.
simul laborantes, simul participes esse debent eiusdem Præmij.
*Socij passionū, etiam consolationis.*II.Cor.I.7
Præmium nulli, nisi merito debetur.
Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. II.Tim. II.5.
*Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus accipere.*ibid.6.

Non

R.

Regnum

Regnum cælorum.

Fermentum in farina abſconditum. Matthæi XIII.33.

in falsò, ſuperſtitiosè & hypocriticè Religioſos.

Dilatant phylacteria. Matth.XXIII.4.

Excolare culicem, camelum autem deglutire. ibid.24.

in Religioſos arctè viuentes pro ſtultis habitos.

Dæmonium habet. Matth.XI.18.

in nolentem aliquid agere per Religionem.

Non in die feſto. Matth.XXVI.5.

Religio infidelibus non reuelanda.

Nolite dare ſanctum canibus. Matth.VII.6.

in Religioſos pauperes.

Beati pauperes ſpiritu. Matth.V.3.

in Reprehenſores vitioſos.

Medice cura teipſum. Lucæ IV.23.

Repugnare ijs qui vinci nequeunt aut poſſunt nocere.

Durum eſt contra ſtimulũ calcitrare. Act.IX 5

de Re præſtantiſſima.

Sicut Angelus Dei. Galat.IV.14.

Reſpublica tranquilla.

Vnus paſtor, & vnum ouile. Ioan.X.16.

in eum cui Reſiſtunt alij ob benefacta.

Nõ veni ſoluere legẽ, ſed adimplere. Mat.V.18

Iota vnũ, aut vnus apex non præteribit. ibid.19

in eos qui perſonarum & rerum non iuſtitiæ habent Reſpectum.

Nolite iudicare ſecundùm faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate. Ioan.VII.24.

Non eſt acceptio perſonarum apud Deum. Rom.II.11.

Retributio iuſta Dei.

Reddet Deus vnicuique ſecundùm opera ſua. Apoc.XXII.12.

Reges memores ſunt officij ſui.

Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo. Lucæ XII.48.

de Regis magnificentia.

Ecce plus quàm Salomon hic. Lucæ XI.31.

in Ruinam futuram.

Nõ relinquetur lapis ſuper lapidẽ Mar.XIII.2 S.

in eũ qui non ritè peruenit ad Sacerdotium.

TAMQVAM *abortiuo.* 1.Cor.XV.8.

Sacra caſtè, piè & ſanctè tractanda.

Non lotis manibus manducare. Matth.XV.20.

in Sanctitatem fucoſam & ſimulatam.

Veſtimenta ouium. Matth.VII.15.

Ieiuno bis in ſabbato. Luc.XVIII.12.

Paries dealbatus. Act.XXIII.3.

Progenies viperarum. Matth.XII.34.

in hominem plus Sapientem alijs.

Non ad menſuram dat Deus ſpiritum. Ioannis III.34.

in Sapientiam mundi.

Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deũ 1.Cor.III.19.

de Sapientia Regis.

Ecce plus quàm Salomon hic. Lucæ XI.31.

de Sapientia in ſermone.

Habete in vobis ſal. Mar.IX.50.

in eos qui Sapienter loquuntur aut condocefacti ab alijs.

Non vos eſtis qui loquimini. Matth.X.20.

Sapienti omnia cognoſcenda.

Omnia probate, quod bonũ eſt tenete. 1.Theſſ. V.21.

in hominem Scandali ſtudioſum.

Vade poſt me ſatana. Matth.XVI.23.

Væ homini, per quem ſcandalum venit. Matthæi XVIII.7.

Scelera non leuiter expiantur.

Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Heb.IX.22.

cùm Scelus ſcelere cumulatur.

Nouiſſimus error peior priore. Matthæi XXVII.64.

Sceleratos tollere à bonis.

Segregare oues ab hœdis. Matth.XXV.32.

in Scientiam.

Scientia inflat. 1.Cor.VIII.1.

in id quod Secretò agendum eſt.

Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera. Matth.VI.3.

in Sectæ alicuius hominem.

Et tu ex illis es? Matth.XXVI.73.

primus & Secundus.

Alpha & beta. Apoc.XXII.13.

Seditionem facere.

Seminare Zizania. Matth.XIII.25.

Separare malos à bonis.

Segregare oues ab hœdis. Matth.XXV.32.

Semper pietati & iuſtitiæ ſtudendum ac inhærendum.

Qui perſeuerauerit vſque ad finem hic ſaluus erit. Matth.X.22.

Tem-

Tempus docebit.

Dies declarabit. I.Cor.III.13.

in eos qui Tentantur.

Beatus vir qui suffert tentationem. Iac.I.12.

non Tentandus Deus.

Non tentabis Dominũ Deum tuũ. Mat.IV.7.

in eos qui Terrena loquuntur.

Qui de terra est, de terra loquitur. Ioã.III.31.

Testamentum vetus & nouum notissimum esse debet omnibus ministris.

Bonus homo de bono thesauro profert bona. Matth.XII.35.

Scriba doctus profert de thesauro suo noua & vetera. Matth.XIII.52.

in Testimonium quod purè & sanctè perhibetur.

Est, est, non, non. Matth.V.37.

in eos qui Thesauros reponunt.

Vbi thesaurus, ibi & cor. Matth.VI.21.

in Timidos.

Modicæ fidei quare dubitasti? Mat.XIV.31.

nihil Timendum pijs & innocentibus.

Charitas perfecta foras mittit timorem. I.Ioan.IV.18.

Tolerare æquanimiter.

Tollite iugum. Matth.XI 29.

de Tribulatione iustorum.

Omnis igne salietur. Mar.IX.48.

Omnis victima sale salietur. ibid.49.

Tribulatio.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Ioannis XVI.20.

Tribulari.

Calicem bibere. Matth XX 22.

in Tristes homines.

Cecinimus vobis, & non saltastis. Mat.XI.17.

Gaudere cum gaudentibus. Rom.XII.15.

Tristibus succedunt læta.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Ioannis XVI.20.

in Turbam omnigenam.

Sagena ex omni genere piscium congregans. Matth.XIII.47.

V.

in Vanè loquaces.

IANNES & *Mambres restiterunt Moysi.* II.Tim.III.8.

in Varietatem hominum.

Aliud vas in honorem, aliud in ignominiam. Rom.IX.21.

in Vaticinantes futura vel occulta.

Propheta es tu? Ioan IV.9.

in homines simplices Vaticinantes quidpiam ex tempore.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Matth.XXI.16.

in eum qui alienis laboribus parta sibi Vendicat.

Alius seminat, alius metit. Ioan.IV.37.

in superiores qui Veniunt ad inferiores.

Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Lucæ I.43.

Verbum Dei.

Sal ne insulsum. Matth. V.13.

Verbum Dei animæ necessarium.

Non in solo pane viuit homo. Matth.IV.4.

Verbi Dei inimicus.

Nolite dare sanctum canibus. Matth.VII.6.

in Verba obscura & tecta.

Non omnes capiunt verbum hoc. Mat.XIX.11.

in eum qui Verbis suis proditur.

Loquela tua manifestum te facit. Matthæi XXVI.73.

ex Verbis cognoscitur homo.

Arbor de fructu suo cognoscitur. Luc.VI 44.

Veritas vincit, & latere nequit.

Nihil est opertum quod non reueletur. Matthæi X.26.

Veritas non eget iuramento & testimonio.

Est, est, non, non. Matth.V.37.

in eos qui Vestitu aliquid promittunt, & re non præstant.

Vestimenta ouium. Matth.VII.15.

in eos qui Vestimentorum luxuria laborant.

Dilatant phylacteria. Matth.XXIII.5.

in Viam vitæ æternæ.

Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam. Matth.VII.14.

Vicissitudo cuiusque rei est.

Nonne duodecim sunt horæ diei? Ioan.XI.9.

Victus parandus labore & industria sua.

Si quis non vult operari, nec manducet. II.Thess.III.10.

in anxium de Victu.

Fodere non valeo. Lucæ XVI.3.

Videndi sensus coërcendus.

Si oculus tuus scandalizat te. Matth.V.29.

in Viduam luxuriosam.

Viuens mortua est. I.Tim.V 6.



IN-

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN ADAGIALIBVS NOVI TESTAMENTI.

A.

Ciui-

Diui-

Mar-

Pla-

T.

The-

FINIS.

Πταίσματα Typographica.

Numerus primus eſt paginarum, ſecundus linearum: a. b. columnas denotat.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Erratum.*	*Correctio.*
8.	b.	5.	genuina	gemina
18.	b.	32.	vt res	vtres
19.	b.	3.	It	Ita
25.	b.	40.	Adagum	Adagium
26.	b.	26.	LVCAS	LVCÆ
39.	b.	37.	fator	ſator
56.	a.	32.	Moribus	Legibus
57.	a.	27.	*νοσία*	*νυσία*
58.	b.	31.	ſeruis	cœnis
146.	a.	17.	Socrates	Iſocrates.

ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXIX.


LABORE ET CONSTANTIA

